

EX VNIVERSA THEOLOGIA

R. 19. 1158
SCHOLASTICA, POLEMICA, DOGMATICA,
SCRIPTURA SACRA, HISTORIA ECCLESIASTICA,

PHILOSOPHIA DEMVM

COLLECTAE THESES

PUBLICAE DISPUTATIONI PROPOSITAE

A DD. IOANNE ANTONIO COSTA, ET BES,
ET IOSEPHO PEREZ, ET VERDU

COLLEGIO-SEMINARII IMMACVLATAE DEIPARAE,
ET DIVI MICHAELIS TOGATIS ALVMNIS.

PRAESIDE

D. D. IOSEPHO IOVER, ET RICO PRESBYTERO,
in eodem Collegio Seminario Philosophiae olim, modo
Sacrae Theol. Professore.

*Palaestra, quae est Seminarii, Oriol. Templum SS. VV.
et MM. Iustae, et Ruffinae*

DIE 14 MENSIS IVNII ANNI MDCCLXXXV.

G. XXV, 2ab^a 3^a, n^o 4 (Polo 2^o)

MVRCIAE:

In Typographia VIDVAE Philippi Teruel, Via Lintearia.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

COLLEGE OF THEORETICAL PHYSICS

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS DEPARTMENT

ILLUSTRISSIMO DOMINO

D. D. IOSEPHO TORMO

ECCLESIAE ORCELITANAE

DIGNISSIMO PRAESULI

REGI A CONSILIIS CET. CET. CET.

Epistola Thesium nuncupatoria.

Opportune factum arbitramur , Prin. Illme. quod pene
exhaustis generosis spiritibus prae assiduis laboribus rei lit-
terariae gratia diu , noctuque susceptis , fructus inde sudo-
ri-

ribus , vigiliis , conatibus nunquam intermissis quaesiti , patienterque expectati specimen aliquod exhiberemus publico testimonio comprobaturi , et temporis usuram avide lucrata , et rei pecuniariae , pauperibus alias distribuendae , haud poenitentiam locatam fuisse rationem nobis alendis , religiose educandis , Ecclesiasticisque disciplinis instituendis. Adolescentum aetatem bono Ecclesiae , ipsiusque sumptibus nutrire , virtuti , et pietati aptare , scientiae , et litteris disponere fuit salubre illud , pium , et sanctum institutum ab Spiritu Sancto PP. Trid. immissum , ab Ecclesia universa avide exceptum , a Catholicis anxie desideratum , etiam ab ipsis Haereticis caeteroquin procacibus , et blasphemis , in ses. 23. cap. 18. decreti laudem tantum effusis.

Illmus. TUUS Praedecessor, (hic figenda est nostrae felicitatis, incrementi, gloriae epocha) dulcis semper nobis recordationis D. D. IOANNES ELIAS GOMEZ DE TERAN , nosti qualis , quantusque Episcopus , in hac Dioecesi illius instituti primus executor, nostri Collegii-Seminarii primus fundamina iecit , iacta aere proprio extruxit, extructa custodivit, custodita ampliavit , honoribus auxit, privilegiis distinxit , donativis cumulavit , tutamine Principis Angelorum Michaelis munivit, Coelorumque Reginae, a prima labe prorsus immunis, Symbolo decoravit, TIBIQUE, Princeps Illme. quem ibidem Theologiae Cathedrae antecessorem designavit , protegendum , gubernandum , et perficiendum reliquit. ⁊ At qua cura id praestas Illme. Domine ? ⁊ Qua sollicitudine urges ? ⁊ Quo zelo huic invigilas ? ⁊ Qua solertia nostrae felicitati viam aperis ? ⁊ Quo pectoris robore nos sustines , iura nostra tueris ? ⁊ Quo amore,

re, quod promissis hic nos sistis? Quae suavitate huc impellis? Quae dulcedine invitas? Quo ardore iuvenes, ut sobrii sint, hortaris? Quo stimulo premis eos, quorum indoles, et voluntas spem affert Ecclesiasticis Ministeriis perpetuo inservituros? Dyscolos praeterea, et incorregibiles, ac malorum morum seminatores, verba sunt Trid. quam acriter punis, omniaque impedimenta auferis, quae ad conservandum, et augendum tam pium, ac laudabile institutum adversa iudicas? Quibus sumptibus fabricam decoras? Commoditates praeparas? Cultum Dei excitas? Templi ornatum venustas? Minervam foves? Melioris notae Auctores undecumque colligis, optimarumque editionum Libris nostram Bibliothecam ditas? verbo dicam, Princeps Illme. nostri Collegii-Seminarii amore totus langues, quia langues totus amore illius Sponsae, cuius servitio, cultui, et ministerio nos disponis, nos accingis, nos instruis, cuius decori TE exhibes exemplar bonorum operum, Episcopum irreprehensibilem, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, Doctorem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sis exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere.

Et en, Illme. Domine, compendio redactam Thesibus nostris totam subiectam materiem. Exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere. TIBI ergo, hac unice ratione debitum pensum hoc, quod gratitudo erga benefactorem eximium, observantia erga Praelatam integerrimum, cura, amor, et sollicitudo Tui erga nostrum Collegium-Seminarium nedum exigere, verum, nobis vel invitis, rapere
fes-


festinant. *Suscipe, Princeps Illustrissime, fove, et protege
gratitudinis nostrae obsequium pro TUA Dignitate, et Per-
sona, quam in Ecclesia geris, exile, pro nostris viribus
maximum, quo testari possumus amorem, observantiam,
nostramque vicem erga Te, quem dilectum Deo, et homi-
nibus, nostri Collegii-Seminarii prosperitati, et fortunae Do-
minus conservet, vivificet, et beatum faciat in terra, in
Coelo vero aeterna felicitate frui, enixis votis Deum preca-
mur. E Collegio-Seminario Kalendas Iunias anni 1785.*

ILLme. DOMINE

**TIBI sincero cordis affectu addicti,
Dignitatisque TUAE observantissimi**

**Ioannes Antonius Costa
Iosephus Perez.**

QQ.



QQ. PP.

Placita omnia P. Antonii Goudini Viri Clarissimi, quae in quatuor eius Philosophiae partibus dispersa continentur, quaeque hunc titulum *Conclusio* praeseferunt futurae exponuntur disputationi.

I.

F. Iacobi Hyacinthi Serry, Ord. Praedicatorum Doctoris Sorbonici opusculum de Gratia primi hominis, et Angelorum; ubi D. Augustinus D. Thomae, eiusque Angelicae Scholae conciliatur meum erit propugnare.

III.

Alienus mihi a veritate esse videtur cl. Wadingus Annalium Ordinis Minorum Parens D. Thomam Alexandri Halensis Discipulum adseverans.

IV.

Inter ceteras egregias dotes Hispaniam nostram exornantes primatum sibi absdubio vindicare videtur B. Iacobi Apostoli in Regionem nostram adventus. Hanc gloriam hi, qui nostro invident honori, tentant elevare, verum testimoniis SS. Patrum, et antiquorum etiam Hispanorum Scriptorum ad oculum commonstratur B. Iaco-

A

bum

bum Apostolum Christi fidem ad Hispaniam adspor-
tasse.

V.

Diris devovenda est pestis illa opinandi teterrima,
quae in Sacrosanctam etiam Principum Maiestatem evo-
luit virus acerbitalis suae, dum ea afflati homines per-
ditissimi eo feritatis usque progressus est illorum furor,
ut scelestissimos Reges, atque Tyrannos autumaverint
fas esse trucidare. Nemini ergo licet quocumque pacto
pollicitam Principi fidem sacrilego ausu violare, eius in-
sidiare vitae, vel ipsum, licet scelestissimum, necesse at-
trectare. Haec docet fides, Concilia, Patres. Atque op-
positum in Doctorum lumine D. Thoma velle inveniri
ineptum prorsus, et insulsum est.



ISAGOGE.

AD SACRAM THEOLOGIAM.

- 1 **A**ltum mare conscendimus, Scopulis frequens, naufragiis celebre, dum Theologicam aggredimur disputationem. Haec reliquis quantum praestet facile intelligent illi, qui naturales scientias in eius obsequium captivari apprime calluerint. Si Graecam vocem in Latinam vertimus, Theologia quidem est ratio, sermoque de Deo.
- 2 Theologiam nostram definire fas est: *Rerum divinarum, vel ex naturaliter cognitis, vel ex revelatis principiis comparatam doctrinam.* Si ea per solum naturae lumen habeatur, Theologiam naturalem nuncupaverim, si Divino munere, et illustratione, particularem constituit sapientiam, de qua nunc agendum.
- 3 Apud plerosque huius Disciplinae tractatores divisa illa conspicitur in Positivam, Scholasticam, Mysticam, Polemicam, Dogmaticam, cet. de quibus nolis me anxie sollicitum.
- 4 Adversus Scholasticam Theologiam nervos omnes intendunt Heterodoxi perditissimi, eamque exhibitant, ac explodunt; sed fremant licet, et obstrepant, totis lacertis vindicandam existimo. Est ergo summopere utilis Theologiae Scholasticae usus, atque ad evertendas funditus haeresees quam aptissimus.
- 5 Scientia utique Theologia est, at non eiusdem omnino rationis cum aliis scientiis.
- 6 Theologia est scientia speculativa simul, et practica.
- 7 Principia licet Theologiae supernaturali lumine innotescant; illa tamen naturalis est scientia, non supernaturalis.
- 8 Obiectum eius formale quod, Deus est; formale quo, divina revelatio; materiale demum, omne quod sub divina revelatione cadit.

LOCORUM THEOLOGICORUM NUMERUS, INDOLES, et natura.

- 1 **N**ullus in Theologicis Disciplinis tantillum imbutus reperiri valet, qui quemadmodum in Philosophicis, ita et in illis statuenda esse argumentorum domicilia, probe non calleat.
- 2 Decem haec recensentur: Scriptura Sacra, Christi, et Apostolorum Traditiones, Oecumenica Concilia, Ecclesia Catholica, Romani Pontificis iudicium, SS. Patrum auctoritas, Theologorum Scholasticorum, Philosophorum, rationis naturalis, Historiae tandem humanae; de quibus singillatim dicamus oportet.

SCRIP-

SCRIPTURA SACRA.

1 **I**nter sacrae doctrinae fontes , primas Scripturae , quae sacrae nomine insignitur , deferimus , quaeque Verbum Dei est , ab ipso literis consignari mandatum.

2 Scriptura Sacra et veteris , et novi Testamenti continetur libris , quorum alii Legales sunt , alii Historici , Prophetici alii , alii denique Sapientiales.

3 Nihil inconsideratissima temeritate plenius , quam summam sacrorum librorum genuinitatem e medio tollere , illosque apocriphos reputare.

4 Certum dogma , universam Scripturam Sacram integram penitus , et incorruptam in partibus substantialibus ad nostra usque tempora pervenisse. Levia tamen menda in ea irrepsisse fateri non erubescimus.

5 Divina , eademque gravissima auctoritate libros sacros pollere , in dubium vocare non audeo. Ac recte quidem ; nisi enim fundamentum hoc fideliter iecerim , quidquid in Theologia superstruxerim , corrue- re est omnino necessum.

6 Ergo Sacrarum Scripturarum Deus princeps est auctor ; homines vero instrumenta , eiusque sunt organa : Dominus enim locutus est per os Sanctorum , qui a saeculo sunt Prophetarum eius.

7 Nos quidem ab eis omnino , qui sententias tantum , ast non singula verba ab Spiritu Sancto dictata putarunt , secerne.

8 Eis certe libris , qui , inspirante Deo , fuerunt exarati , canon perficitur : triplicem enumera ; Iudaeorum videlicet , Catholicorum , et Haereticorum.

9 Duos supra viginti apud Iudaeorum gentem sacros extitisse libros , Iosephi edocemur testimonio.

10 Si alium praeter Esdram Iudaici canonis quaeras auctorem , vana spe , irritoque illuderis conatu : Hic ergo doctus in Lege Domini scriba servatos ab igne codices a mendis purgavit , unumque in corpus redegit.

11 Hodierno Catholicorum canoni illi solum adscribendi sunt libri , qui a Tridentina Synodo sess. IV. recensentur : de iis in arena.

12 De quorundam canonicitate librorum , quaeis hodiedum Catholicus canon constituitur , ante Tridentinam Synodum dubitatum est olim ; sed neque id nunc minimum licet.

13 Apud perversam , fingendique arte peritam haereticorum turbam certus , fixusque Sacrorum librorum nullus est catalogus.

14 Nobis est plane persuasum , autographos , quos vulgus originales vocat , primosque veteris Testamenti codices quosdam Hebraice , quosdam Chaldaice , nonnullos Graece fuisse conscriptos.

15 Quotquot in novo Testamento reperiuntur libri , Graeca lingua ab Apostolis fuerunt scripti : excipe tamen Mathaei Evangelium Syriaco donatum idiomate , Paulique ad Hebraeos epistolam hebraice conscriptam.

16 Licet in hodierno veteris Testamenti Hebraico textu , novique Graeco menda reperiantur nonnulla : ea tamen minima ita sunt , ut in iis , quae ad fidem , moresque attinent , Sacrae Scripturae integritas nullatenus desideretur.

17 Eis inter contententes de Graecarum versionum numero pronis auribus auscultamus , qui decem adserunt extitisse.

Cae-

- 18 Caeteris , quae LXX interpretum audit , iure optimo praecellit: haec Ptolomeo Philadelpho , tertio ab Alexandro magno Rege in Ægypto regnante a duobus supra septuaginta edita fuit senioribus.
- 19 Pentateuchi tantum , et non omnium Iudaici canonis librorum versionem elaborasse LXX a vero prorsus alienum.
- 20 Sed numquid , ut versionem adornarent , inter se contulerunt LXX ? res ea est , de cuius veritate plurimos video digladiari. Natalis Alexandri opinio , qui singulos singulis inclusos cellulis versionem tenet exornasse , ad nostrum quidem palatum.
- 21 Et priscis , et nostris etiam temporibus LXX Interpretum versionem divina pollere auctoritate adsero fidentissime.
- 22 Latinae veteris Testamenti versiones ante Hieronymi tempora ex graeco LXX elucubratae adeo multae fuere , ut Augustinus vix numerabiles dixerit , inter quas , quae Itala , in Occidente eminebat.
- 23 Suo muneri non defuisse Hieronymum existimo , dum vetus Testamentum sive ex Hebraico , sive ex Graeco fonte Latino donavit : novum autem emendavit ad Graecum.
- 24 Vulgatam nostram in rebus gravis momenti , praeunte Tridentina Synodo , authenticam pronunciamus. Qui nos criminatur stultos , se Sycophantam probat.
- 25 Apage Haereticorum fabulam somniantium Tridentinum Vulgatam nostram Latinam , Hebraicis , Graecisque fontibus anteposuisse.
- 26 Catholicas Bibliorum versiones vernaculo sermone legere , res plane adiaphora est : iustis tamen de causis Ecclesia sollicita fidelium Mater nonnullis pro ratione circumstantiarum illorum lectionem valet interdicerere.
- 27 Kemnitius vulpe callidior omnem a Scriptura sensum exulare iubet praeter eum , quem ipsa littera gignit : triplicem statuimus Litteralem nimirum, Acomodatitium, et Mysticum , qui iterum triplex , allegoricus , tropologicus , et anagogicus.
- 28 Theologus hoc inter litteralem , et mysticum adinveniet discrimen , quod ex illo firmum eruere valet argumentum , ex isto vero minime , ni illius accedat auctoritas.
- 29 Nihil nobis firmissimum persuassum , quam unum Scripturae locum plures habere posse sensus litterales.
- 30 Nonnulla Scripturae capita planum , et apertum sensum habent, vel ex contextu , vel ex alio Scripturae loco , vel ex verborum ipsorum claritate ; sed nolo equidem imperito , imprudentique Lutero aures dare idem de omnibus Scripturae locis temere pronuntianti.
- 31 Quandoquidem obscuriora Scripturae capita in peregrinos flecti possent sensus , penitusque obscurari , quod facili experimento omnino retro antiquitate in Haereticis comprobatum est , necessariam habemus auctoritatem externam , quae fidelibus tradat germanum Scripturae sensum.
- 32 Quam non in gustu proprio , aut privato cuiuslibet fidelis Spiritu reponendam iudicamus , sed in Ecclesia , cuius nomine intelligendi veniunt illius Pastores , verbi Divini vigilantissimi custodes.

DIVINAE TRADITIONES.

- I **T**ransfuga e castris Ecclesiae Lutherus, cui data est clavis putei
B Abys-

Abyssi, alique eiusdem furfuris perditii homines sacras Traditiones procul eliminare, solaque Scriptura pro Fidei regula uti, vel abuti potius tentarunt: verum Ecclesia in Tridentina Synodo, eas summis encomiis extulit, parique pietatis affectu, ac reverentia, cum Scriptura Sacra suscipiendas solemniter decreto declaravit.

2 Traditionis nomine nihil aliud intelligendum volumus, quam Doctrinam in libris Sacris haud scriptam, sed vivae vocis oraculo quasi per manus a progenie in progenies ad nos usque derivatam.

3 Traditio multifariam dispertitur; in Divinam, Apostolicam, et Ecclesiasticam ratione originis; in Fidei, morum, et disciplinae ratione obiecti; in universalem, et particularem ratione illius, cui committitur; in perpetuam, et temporariam ratione durationis; in liberam, et necessariam ratione modi.

4 Vetustissimi illi priorum temporum Patres, qui in lege naturae ante Moysem veri Dei cultores extiterunt, Sacrificiorum ritum, veramque de rebus divinis sententiam non scriptis legibus, sed more, et instituto maiorum servavere. Necessaria ergo erat tunc temporis Traditio.

5 In lege Mosayca quamvis divinae extarent Scripturae, proles tamen illa hominum Hebraeorum plurima praecepta non aut membranis, aut tabulis conscripta, sed in animis consuetudine imbutis, quasi impressa conservavit.

6 Spiritu vertiginis, et erroris abrepti sunt illi, qui sub luce Evangelica, earum utilitatem, necessitatemve pernegarunt.

7 Traditio locus est Theologicus, ex quo firmissima valet Theologus elicere argumenta ad probanda Fidei dogmata, moresque regulandos.

8 Non desunt regulae, eaeque certissimae, quibus tamquam lydi lapide divinas Traditiones ab humanis discernere possimus. Eccillas:

9 Prima: *Illud non est divina Traditio, cuius initium licet in tota servetur Ecclesia, vel in summorum Pontificum Decretis, vel Conciliorum canonibus, vel Patrum statutis reperitur.*

10 Secunda: *Non divina, sed humana; non tradita, sed inventa est doctrina, quae in una tantum particulari Ecclesia reperitur.*

11 Tertia: *Humanum est, non divinitus traditum dogma, quod contra communem aliorum sententiam ab uno tantum, aut a duobus etiam antiquis Scriptoribus, imo a tota aliqua particulari Urbe, aut Provincia docetur.*


12 Quarta: *Dogma, quod universa amplectitur Ecclesia, licet in sacris litteris non reperiatur, Divinae Traditionis est.*

13 Quinta: *Doctrina, quam universa Ecclesia quovis saeculo propugnavit, Divinae Traditionis est, quamvis in canonicis libris non inveniatur.*

14 Sexta: *Praxis, quam solus Deus instituere potest, est ex Apostolica Traditione, si ab universa Ecclesia servetur.*

15 Septima: *Quae autem in universa Ecclesia quovis saeculo continuata serie servata est, quaeque a Conciliis originem, haudquaquam trahere videtur, merito ab Apostolis censetur instituta, quamvis ejus sit generis, ut ab Ecclesia institui potuerit.*

SACROSANCTA CONCILIA.

1  Uod Hebraei Sanhedrin vocant, Synodum Graeci, apud nos Concilium audit: cuius nomine, quidquid in contrarium blaterent Reformati, non quosvis, sed Pastores, et Pontifices Ecclesiae intellectum iri

volumus, in unum locum congregatos, ut de causis Ecclesiasticis, hoc est, de moribus, fide, religione pronuntient.

2 Concilia vel sunt generalia, vel particularia, haec iterum vel Nationalia, vel Provincialia, vel Dioecesana.

3 Quae tribus prioribus saeculis habita fuere Concilia, ab Ecclesia, prout animarum Pastores complectitur, fuerunt convocata.

4 Imperatores Christiani convocarunt octo priora Concilia Generalia: Romani vero Pontifices omnia alia post octavum celebrata.

5 Synodorum convocatio ad Ecclesiam, prout animarum Pastores complectitur, stricto pertinet iure.

6 Facultas vero vocandi totius orbis Episcopos ad Generale Concilium penes Romanum residet Pontificem ex vi suae dignitatis.

7 Quod si negotia Ecclesiastica, ad extremas incitas redacta, surda pertransire aures SS. Pontifex videretur, non inficias ibimus alteri, quam ipsi praedictam competere convocationem; & quibus autem in casibus? in arena.

8 Homines laici decisivi suffragii jure in Conciliis non fruuntur.

9 Solis Episcopis institutione Divina competere ius ferendi in Conciliis decisivum suffragium, extra omnis dubitationis aleam positum iudicamus.

10 Abbates, et generales Ordinum Praepositi aliquibus abhinc saeculis habent in Conciliis suffragium definitivum.

11 Romanus Pontifex jure ordinario potitur vel per se, vel per suos legatos in Synodis generalibus praesidendi.

12 Imperatores licet octo prioribus Conciliis Generalibus in Oriente celebratis, nonnullisque occidentalibus, quoad locum materiale, ordinem, pacemque servandam praefuisse fateamur; verum nullam unquam Synodum reperies legitimam, cui quoad directionem praefuerint.

13 Grandi detinentur errore, qui supremum Ecclesiae caput, Romanum nempe Pontificem omnibus Oecumenicis Synodis, sive in oriente, sive in occidente convocatis praesedis negent.

14 Non sine stomacho audiunt Novatores Generalia Concilia legitime congregata infallibilem fidem facere dogmatum catholicorum; sed fremant licet, et obstrepant, totis lacertis vindicandum.

15 Cum plures, insignesque Ecclesiae errore, aut Schismate laborant, Concilio opus est Generali, quo veritas Catholica definiatur, aut Schismatis tollatur occasio. Nullum enim est in ea Ecclesiarum calamitate Concilio potentius remedium, nec aliud veteres adhibuere. Ac de Conciliis hactenus.

ECCLESIA CATHOLICA.

1 **E**A fuit olim, et est etiam nunc haereticorum indoles, ut licet a se ipsis maxime dissideant, in oppugnanda tamen vera Christi Ecclesia maxime concordent, et armis arma coniungant. Sed Navicula Petri, quae tempestatibus agitari, ad Scopulos allidi non potest, ita firma constitit, ut de omnibus, qui ei insultare ausi fuere plenam victoriam reportarit.

2 Ecclesia graeca vox est, quae latine redditur congregatio; est igitur Ecclesia coetus Sanctorum sub uno Christo capite Deo servientium.

3 Solis praedestinati ad gloriam locum concessere in Ecclesia Wicleffus

cleffus, et Joannes Hus; sed errarunt quidem turpissime, nec enim omnes, nec solos praedestinos continet Sancta Mater Ecclesia.

4 Illius quoque membra cognoscimus reprobos, ac scelestissimos peccatores in Sacramentorum participatione fidelibus coadunatos.

5 Haereticos publicos, et Schismaticos, ceu nothos Ecclesiae Catholicae filios, ab illius limitibus eliminamus. Proh Deus quantum haec a Lutheranis, et Calvinistis distant!

6 Iuribus Minister Calvinianus distinctionem commentus est inter dogmata fundamentalia, et non fundamentalia: Ast quis amabo tam bonus, cui haec insipientia arrideat?

7 Cathecumeni, etiamsi Cathecumenatus apicem adeptos constet, ad Ecclesiam minime pertinent.

8 Una est non multiplex vera Christi Ecclesia, quae nullam inter membra sua scissuram patitur. In tribus potissimum eius Unitas lucescit, in Fide nimirum, Sacramentis, et Pastoribus.

9 Ecclesiam praeterea Sanctam dicimus, et sanctitate vocationis, et sanctitate professionis: qua ratione quamvis mali in ea sint plurimi; Synagoga tamen Satanae appellari non debet.

10 Catholica itidem appellatur, id est, universalis universalitate communionis permanentis, et succesivae. Hocque ita sibi comparavit nomen, ut cum haeretici omnes se Catholicos dici velint, quaerenti tamen Peregrino alicui ubi ad catholicam conveniant, nullus vel basilicam, domumve suam ausus fuerit ostendere.

11 Cum traducem fidei, ac semina doctrinae ab Apostolis sit Ecclesia mutuata, profecto et Apostolica deputanda est secundum doctrinam, et auctoritatem.

12 Et quoniam Civitas supra montem posita abscondi non valet, Ecclesia Christi characteribus hisce exornata montis ad instar omnibus visibilis adparet, omniumque oculis sese praebet conspiciendam.

13 Navem Ecclesiae in alto haeresum, seditionum, discordiarumque procellis fluctitantem, fuisse iactatam quidem, ac pene opertam fluctibus non diffitemur, non tamen in tanta tempestate demersam, imo nec demergi potuisse, evincere non erit operosum.

14 Ab unanimi Ecclesiae Catholicae consensu firmissimum Theologus hauriet argumentum: falli quidem, aut fallere nescia est Ecclesia, cui Dominus perpetuo adest, quamque Spiritu suo regit.

15 Sanctorum Apotheosis tuto, et absque erroris labe ab ipsa pronuntiatur.

16 Ast quaenam Societas huiusmodi tum notas, tum proprietates iure sibi vindicare poterit? Sola Romana: hanc, nullamque aliam dicimus Christi Ecclesiam, extra quam salus frustra quaeritur.

ROMANI PONTIFICIS IUDICIUM.

1 **C**hristus Dominus reversurus unde venerat, praedilectae suae Sponsae praefecit caput visibile, cui supremam in spiritualibus tradidit potestatem.

2 Clamitet licet usque ad ravim, coneturque Lutherus in contrarium, quantum possit, sciat tamen Romanae Sedis Praesulem per universum orbem, non ordinis tantum, sed et iurisdictionis etiam primatum obtinere.

Ad-

3 Adsentiamur tandem Romani Pontificis iudicium locum esse Theologicum, e quo Theologus validum sumere valet argumentum ad Fidei, Theologiaeque dogmata comprobanda.

SANCTORUM PATRUM AUCTORITAS.

1 **D**ividentissimus Ecclesiae Pater, nedum Pontifices, Apostolos, et Evangelistas in ea constituit, verum etiam quovis saeculo viros suscitavit, virtute, doctrinaque potentes, qui scriptis, praedicatione, sanguisque effusione, velut stellae ex alto splendentes Ecclesiam ubique gentium illustrarent, et haeresum, aliorumque errorum tenebras luce sua dissiparent. Hosce Sanctos Patres, et Ecclesiae Doctores appellamus; de quibus impraesentiarum.

2 Unius, aut alterius Patris de rebus Theologicis sententia, aliis ea de re silentibus, firmum non suppeditat Theologo argumentum.

3 Unanimis Sanctorum Patrum in dogma quodcumque consensus certissimum praestat Theologo argumentum, dummodo scopus sit disputationi Religio.

4 Plurium Sanctorum Patrum in dogma unum consensus, reliquis licet paucioribus ex altera parte reclamantibus, etsi non leve, non tamen omnino certum praestat argumentum.

5 Absque dubio audiendi sunt SS. PP. in Religionis controversiis, saepe saepius illorum opera evolvenda, sed cum delectu: quaedam enim adhiberi debent cautiones, quas volenti dabimus.

SCHOLAE THEOLOGORUM AUCTORITAS.

1 **D**UM Theologos Scholasticos audimus, eos volumus designatos, qui de Deo, rebusque divinis apte, prudenterque e litteris, institutisque sacris ratiocinentur. Quale vero subsellium, re attente perpensa, illis debeatur in hoc Theologico loco introspeciemus.

2 Nihil profecto virium habet ad faciendam fidem argumentum desumptum ab Scholasticis illis, qui detracta Scripturae auctoritate syllogismis contortis de rebus divinis philosophantur.

3 Plurium Scholasticorum ex iis etiam, qui placita sua ad Scripturae, et Patrum normam exhibere profitentur, auctoritas Theologum firmiter stabilire nequit; nihilo enim maioris est ponderis, rationibus, quibus nituntur.

4 Si qua vero in quaestione ad fidem, moresque pertinente universi Doctores Scholastici in eadem inter se concinunt, Theologo suppeditat magni roboris argumentum.

5 Sententia, quae unanimi Scholasticorum consensui adversatur, minus haeresis, proxima tamen Illmo. Cano videtur.

6 In pretio apud Theologum doctrinale iudicium esse debet, si quod ferunt facultates Theologicae sapientiae, et eruditionis fama commendabiles.

HISTORIA HUMANA.

1 **M**iseranda sane hominis ignorantia, potius quam luenda, qui historiarum libros non excitat, ut nostrae etiam fidei dogmata illorum adserat testimoniis. Multa enim nobis e thesauris suis suppeditat Historia,

ria, quibus si careamus, et in Theologia, et in quacumque alia facultate inopes saepe numero, et indocti reperiemur: certe quantum Theologus historiae cognitione indigeat, vel illi abunde magno argumento sunt, qui eius ignoratione in varios sunt errores prolapsi: immerito ergo reiicitur historiae notio veluti inutilis Theologo.

2 Si hominum more vitam agere velimus, hominibus oportet credamus, quasque ipsi narrant historias, accipiamus; coeterum, quoniam, ut est hominum conditio, in aliquibus a vero deviarunt, nonnullae statutae sunt regulae, quibus veras a falsis historias discernamus; queis recensendis aliquantulum immorabor.

3 Praeter auctores sacros nullus historicus certam in Theologia fidem facit.

4 Ex facto quod a viris probis, et ingenuis nemine reclamante narratur, firmum desumet Theologus argumentum, tum ad ea, quae sua sunt corroboranda, cum ad falsas adversariorum opiniones refutandas.

5 Historici graves, et fide digni, quales sive in Ecclesiasticis, sive in Saecularibus nonnumquam reperire est, probabile argumentum Theologo valent praebere.

PHILOSOPHORUM AUCTORITAS.

1 **L**utherus disserendi principia suis universa tollens, omnis disputationis aditum, ne si res esset via, et ratione explorata in male suscepta causa cedere cogeretur, non secus, ac Mahumetus praecusit, Philosophiam tamquam meretricem, vagam, garrulamque e medio pellere conatur. Nec hic sistit haereticus ille, sed suo more prosequitur, Philosophos Domitiani exemplo non urbe solum, sed orbe expellendos. Nos autem quod Fides Catholica, ratioque sana teneat breviter illustrabimus.

2 Philosophorum dicta etiam Theologo evolvenda, non ea unice curiositate, ut quid Aristoteles, Plato, coeterique opinati fuerint, adipiscatur, sed ut veritatibus, ab iis proprio Marte acquisitis utatur ad ipsos in cordatum sensum reducendos.

3 Dum Philosophi omnes in idem philosophicum dogma consentiunt certam faciunt fidem illius.

4 Cum vero de unius, aut alterius Philosophi secta disseritur, quo quisque doctior, et gravior fuerit, eo est illius quidem, et probabilior auctoritas, et fidedignius testimonium. Nulli tamen Theologus ita se debet adiudicare, ut ne latum quidem unguem ab eo discedat.

NATURALIS RATIO.

1 **N**ihil Theologo debet esse antiquius, quam cum de Divinis Mysteriis disputatio incidit, argumentis Philosophiae praeponenda esse ea, quae ex revelatione ducuntur. Ergo a vero longissime aberrant ii, qui iudicant aptiora Theologo fundamenta ex ratione, quam ex auctoritate deprompta.

2 Mirari non desino Lutheranos, qui cum nihil existiment dissonum rationi se docere, rationem naturalem homini Theologo eripere, non intelligunt rationi contrarium.

3 Ratio naturalis alia certa est, probabilis vero alia: ex prima conclusionem certam valet Theologus habere, at non itidem ex secunda.

PRO-

PROPOSITIONUM CENSURAE.

1 Satis non est viro Theologo locorum notitia, ex quibus argumenta pro confirmanda Fide, regulandisque moribus desumenda sunt, sed requiritur praeterea, ut noverit, quibus censuris affici debeant propositiones, quas iisdem, sive Fidei, sive morum regulis oppositas iudicaverit.

2 Octo praecipue sunt propositionum censurae. Nimirum haeretica, erronea, scandalosa, blasphema, piarum aurium offensiva, temeraria, seditiosa, et suspecta. His a nonnullis adduntur propositiones haeresi proxima, haeresim sapiens, suspecta de haeresi, improbabilis, male sonans, et damnabilis; de quibus iusta mentem, et litteram Cl. Iuenini multi erimus.

DEI EXISTENTIA, NATURA, ET ATTRIBUTA.

ECCLESIAE DOGMATA.

1 Naturali lumini rebelles, et in Sole noctuas esse putamus teterimos illos ad extremum usque, ac malenatos homunculos, qui D. O. M. existentiam blasphemio ore sunt inficiati; intimo enim cuiusque sensu, nullique non exaudita naturae voce sic illa clara fit, ac perspicua, ut nullas ei imbelles, planeque vitreae Atheorum ratiunculae valeant nebulas offundere.

2 Procaces despiciamus Politheos, et ad quisquilias, ac purgamenta amandamus, qui originis suae, et Conditoris obliti nova sibi Numina fabricarunt: unum dumtaxat Deum profiteamur.

3 Vel etiam contra ipsum naturae lumen errasse dicendi sunt Manichaei, qui duas summas, ac principes causas, unam cuiuscumque boni, malorumque omnium alteram effectricem statuentes, Politheorum dementiam sunt imitati.

4 Eadem fere chorda aberrare videntur Marcionitae, qui non eundem Veteris, et Novi Testamenti Deum auctorem esse contendunt: Non sinat Deus, nos umquam tam crassis erroribus faedari!

5 Est Deus simplex omnino, nec aliquid in eo invenire fas est, quod compositionem redoleat.

6 Deum primam mundi huius esse materiam, ad ravim usque clamat David de Dinando: derilamentum hoc ingens est, vacuo cerebello concoctum.

7 Pinguissimo huic errori affine valde est Benedicti Spinosae commentum, qui unicam in hoc mundo substantiam, cui Divinitatis characteres attribuit, statuere non erubescit: at quodnam monstrum, et portentum non est hoc!

8 Quisquis D. O. M. humana membra audeat affigere, Sacrae Scripturae, traditioni, rationique naturali refractarius probatur.

9 Turpissima est, longeque execranda Eunomii blasphemia, qui Deum pluribus significari nominibus, quorum singula Divinam naturam exprimerent, arbitratur. Ergo eius ineffabilitatem inficientes execrabilem fidei afferunt iniuriam.

10 Perfectissimum Deum esse, omniumque rerum perfectiones in se

se continere ita certum, ita perspicuum, ut nulla nisi Sceptici mens haereat in ambiguo.

11 Summa Deum gaudere bonitate fateamur necesse est, ne impio haereseos vento circumferamur.

12 Immensus Deus est, et locum reperies nullum, cui secundum suam substantiam non adsit.

13 Improba caecitate, mentisque, et cordis stupore arripiuntur, qui Dei immutabilitatem, eamque ei soli convenire, vel levissime inficiantur.

14 Infinitus quoque est, nec ullis quidem limitibus circumscribitur.

15 Deum expertem esse principii, fineque carentem (quod creaturae congruere nefas) ita clare adserit Scriptura, ut mirari omnino subeat, haereticos hac in parte caecutisse.

16 Omnes ingenii nervos, cunctasque animi vires Gilbertus Porretanus, et Joachim Abbas Florensis intendunt, ut eliquatissimis oraculis Dei attributa neque a se invicem, neque ab essentia realiter distingui probantibus nebulas offundant: verum transversum agunt.

SCHOLAE POSITIONES.

1 $\frac{0}{0}$ $\frac{0}{0}$ Aec propositio, Deus est, licet sit nota quoad se, minime tamen quoad nos.

2 Licet supremi Numinis existentia per causam aliquam, seu a priori demonstrari haudquaquam valeat, a magnitudine tamen speciei, et creaturae ipsius poterit cognoscibiliter Creator horum videri.

3 Argumentum illud, quod Primum Motorem immobilem evidenter ostendit, ineluctabile prorsus est, invictissimumque.

4 In eos tamquam in offensionis petram impingimus, qui argumentum aliud, quod primam effectricem causam demonstrat, velut elumbem, planeque vitream ratiunculam temere traducunt.

5 Tertia quoque Ang. Prae. argumentatione ex contingentium consideratione desumpta, ceu splendidissimo Sole irradiante obscurissimas Atheismi tenebras volumus dissipatas.

6 Criminamur eos, qui ex mirabili rerum ordine, ens infinite perfectum, et provisorem, ac gubernatorem summum suadente, posse creaturam nullam in Conditoris sui cognitionem devenire, buccinant.

7 Mira, quoque Mundi huius fabrica, rerumque aspectabilium compago ita perspicue sapientiam, ac omnipotentiam effectricem ostendunt, ut a nobis vel invitis assensum extorquere videantur.

8 Cartesius, ipsos quoque existentiae Conditoris ossores aggressurus, duas sibi rationes compinxit, quibus illum existere ad oculum usque demonstrare conatur: ast ipsum fefellit opinio.

9 Dei existentiam nemo rationis compos invincibiliter valet ignorare.

10 Perfectionum omnium, ac ornamentorum cumulum, quae in Deo reperiuntur, ipsius naturam physice consideratam constituere arbitramus.

11 In quo vero metaphysice inspecta reponenda? gravis est deceptatio, quae multorum exagitavit ingenia. Nos, qui miram Ang. Prae. doctrinam insectari gloriamur, eius inhaerentes vestigiis perfectissimum intelligendi actum per se subsistentem esse *Divinum* appellamus.

12 Nomenclaturae variae sunt, quibus in Sacris Litteris supremus omnium Dominus indigitatur; quibus enucleandis incedimus parati.

13 Distinctionem actualem formalem ex natura rei inter Divina attributa, inter essentiam item, et relationes intercedere sustinent Scotistae: quod ipsis plane arrisit, nos improbamus.

14 Utroque pollice illis subscribimus, qui essentiam, attributa, et relationes virtuali, seu rationis ratiocinatae distinctione, quae penes explicitum, implicitumque dicitur, sese inter discriminari contendunt.

DEUS QUALITER VIDENDUS.

ECCLESIAE DOGMATA.

1 **N**ativis viribus mentem creatam Deum intuitive videre posse Anomaei, Beguardique dogmatizarunt. Ride fabellam.

2 At superno suffultum lumine intellectum creatum clara Dei visione frui valere, nullus ibit inficias, nisi qui vel deliret, vel nobis velit illudere.

3 Nisi supernaturale gloriae lumine affulgente beatorum animi muniantur, ad felicissimam Dei visionem pertingere nequeunt.

4 Iusto cuique parem omnino gloriam non servari, non modo SS. Patrum, sed et textus Evangelici testimonio freti pronunciamus.

5 Eos veluti Canes, et a vero Deo segreges despiciamur, qui perpetua felicitate fruente Deum comprehendere pronunciarunt.

SCHOLAE POSITIONES.

1 **D**EUM corporeis oculis conspici valere quorundam fuit opinatio nobis prorsus invisita.

2 Intuitivam hanc Dei visionem naturali ratione ut possibilem evinci sustinent non pauci; perperam tamen, et futiliter.

3 Homini puro mortalem vitam degenti ordinaria Dei lege claram Conditoris visionem denegari tamquam surculus ex mira Ang. Prae. doctrina ortus nobis arridet.

4 Verum communi rerum cursu praetermisso, a sensibus carnis abstractus ad perspicuam Dei visionem homo poterit extolli.

5 Singularem hac praerogativa Moysem, et Paulum dum corruptioni obnoxium corpus ducerent, fuisse donatos, et solido fundamento, et facili negotio conficitur.

6 Felicissimus Divinae Essentiae contuitus inaequalis in Beatis, si physice loqui velimus, a diversitate superni luminis suam haurit disparitatem.

7 Absoluta Dei potentia fieri nequaquam potest, ut intellectus creatus Deum videns intuitive ad perfectam illius comprehensionem manu veluti ducatur.

8 Naturam, attributa, et Personas beati conspiciunt absdubio.

9 Nec de potentia extraordinaria fieri posse sustinemus, ut Dei essentia absque attributis, aut Hypostasis una, alia dempta, conspiciatur.

10 Nec possibile omnia, quae in ipsius Dei potentia continentur, Beatis fient conspicua.

11 Omnia tamen praesentia, praeterita, et futura, quae ad illos spectant

D

cia-

ciatim pertinent , conspecturos Ang. Prae. doctrina edocemur : ipsi subscribimus.

DEI SCIENTIA.

ECCLESIAE DOGMATA.

- 1 **S**upremi Numinis iram suis cervicibus concitant absdubio , qui perfectissimam cognitionem intellectivam ei inconsulto pernegarunt.
- 2 ? Semetipsumne Deus cognoscit ? ita , imo et comprehendit.
- 3 ? Quis Epicureos ferat tam temere , tam audacter effutientes Deum sui cognitione contentum coetera non curare , non videre ? Bellua profecto. Ergo Deus non modo seipsum , sed et praeterita , existentia , futura , quin et possibilia cognoscit.
- 4 Usque adeo notum est Deo abstrusa non esse futura contingentia , et conditionata , ut oppositum sentire , ineptire prorsus videatur.
- 5 Neque illum fugiunt latitantes humanorum cordium cogitationes , ac facinora , vel secretiora.
- 6 Illorum ineptias , qui ex Divina praescientia ineluctabilem rerum contingentium exitum adstruere conantur , deridemus.

SCHOLAE POSITIONES.

- 1 **I**mmaterialitatem Dei firmissimum esse pro adstruenda in illo altissima rerum omnium notitia argumentum foedis gannitibus excipiet , cui Angelicum Prae. exulare , placeat.
- 2 Veram propriamque dictam scientiam in omnium Conditore non adinveniri contendit Vasquesius : sed a veritate abest quam longissime.
- 3 Nihil praeter ens increatum in formale , et primarium divinae cognitionis obiectum constitutum iri dissertissime pronunciamus.
- 4 Dei scientia licet in se simplicissima , ex parte obiectorum , et secundum nostrum concipiendi modum varias sortitur divisiones. ? Eas scire desideras ? interroga , et audies.
- 5 Deum alia a se utroque modo et mediate in se , ut in causa , et immediate in seipsis cognoscere autumant non pauci ; sed veritatis semitas non invenerunt.
- 6 Cave tamen putes eius aditum pro sola cognitione immediata dimicantibus reseratum esse.
- 7 ? Igitur ex eis nullum , dices , rectam instituisse viam ? Nullum sane : id enim iis tantum esse concessum , qui mediate in se ipso ut in causa a Deo omnia cognosci asserunt , libenter sustinemus.
- 8 Trahit me vel invitum Magnus Aquinas ad definiendum futurum : *Quod in causa sua erat determinatum ut fieret.*
- 9 Variis varias futuri divissiones adnumerant : de eis sciscitatus nec pauca , nec iniucunda eloquar.
- 10 Futura absoluta libera Deo non sunt nota in eius essentia ut habet rationem ideae , seu speciei intelligibilis ante decretum.
- 11 Neque ex supercomprehensione , ut aiunt , causarum secundarum , neque ex relicta sibi in his , vel illis circumstantiis causa secunda , neque ex decreto ut futuro praeviso , nec ex eorum veritate sive formali , sive obiectiva ante decretum futurorum contingentium notitiam Deus exhaurit.
- 12 His igitur Theologorum opinionibus explosis , id unum superet , ut

An-

Angelici Doctoris vestigia sequuti in essentia sua huiusmodi decreto determinata Deum futura absoluta contingentia, et libera cognoscere, adseveremus.

13 Futura conditionata contingentia, et disparata certam, et evidentem Dei notitiam non subterfugiunt.

14 Haec futura, sicut et praecedentia in suo decreto Deo esse patentia locupletissima ratione ad oculum ostendemus.

15 Actiones liberas naturales Dei essentiae eius decreto modificatae non esse reclusas opinantur Molinistae: sed eodem quo prius retundentur mucrone.

16 Decretum istud licet prout respicit obiecta conditionatum appelles, quatenus in Deo reperitur, esse absolutum, Ang. Prae. rationes penitus evincunt.

17 Molinistae M. P. Aug. praeter fidelissimum eius discipulum, Scholaeque nostrae Magistrum in suas pertrahere partes conantur: invita plane Minerva.

18 Ovent quidquid velint cum suo Duce mediam suam scientiam, ceu abreptam palmam venditantes: iactatus eorum triumphus, et Molina violente victor ceciderunt.

DEI VOLUNTAS.

ECCLESIAE DOGMATA.

1 **A** Catholica fide alienigenam eum vocamus, qui veram propriamque voluntatem in Deo pleno ore non fateatur.

2 Deum et seipsum, et creaturas sincero prosequi amore tam fuisse, tamque distincte Scriptura Sacra docet, ut fas non sit haesitantem hac in parte tenere animum.

3 Pulcherrima libertate D. O. M. non gaudere sunt, qui blaterent: illorum persequar ineptiora commenta? Sed in nugacissimis fabellis refellendis perdere nolo bonas horas.

4 Igitur Deum liberrime in creaturis ferri sic verum, ita conspicuum, ut qui oppositum adstruat, fugam arripere properet.

5 Coelestem Patrem, Deumque totiusque consolationis nolle omnes omnino homines salvos fieri Iansenius, Quesnelliusque garrunt: ast quo fingendi, fabulandique cacoethes homines abripit!

6 A capite ad calcem naeniis, ac fabellis infarta est illorum opinio, qui Christum pro universo humano genere mortuum fuisse, serena fronte inficiantur.

7 Esto autem pro omnibus mortuus sit Christus, non tamen omnes mortis eius beneficium recipiunt, sed hi dumtaxat, quibus meritum passionis eius communicatur.

8 Igitur necessitate consequentiae colligamus, sufficienter quidem pro reprobis, pro praedestinis vero efficaciter ipsum tamquam vadem, et sponsorem pretiosissimum suum sanguinem fudisse.

9 Non sine luminibus udis audire possum quosdam ineptissimos, qui nostri liberatoris beneficium ad mulieres non protrahunt.

10 Christi ad Patrem deprecationem ad aliquos dumtaxat homines perduelles acatholici totis lacertis decurtare conantur: ast hoc probant magno nugarum, ac fabularum apparatu vix digno lucubrationis annicularum.

Ie-

11 Iesum Cruci adfixum, ut Doemones ab aeterna damnatione liberaret, haeretici tradere minime detrectant; usque adeo improba caecitas eorum animos occupaverat, dementaveratque!

12 D. O. M. omnibus omnino hominibus generalia auxilia ad salutem sufficientia non parare, garrunt nonnulli. Bone Deus quantus error!

13 Deum iustitia esse orbem venditant haeretici. Verum quis, quaeso, eorum insaniam non videat, lugeatque!

14 Misericordiam Dei inter attributa proprissimum buccis plenis haereterodoxi pernegarunt. Grande piaculum! Tot enim in eos scriptura teste decretoria argumenta quot verba; tot effata, quot apices.

15 Cunctas actiones nostras liberas praeordinavit ab aevo Deus.

16 Facessant nugaces illi ac malenati circulatores, qui malum cul-pae a Deo effici rabido ore blasphemant nefario, atque inexpiabili sacri-legio.

SCHOLAE POSITIONES.

1 **E**OS ad Coelum usque deferimus, qui propria, increatae bonitate divinam voluntatem primo moveri, ac terminari asseruerunt.

2 Necessitate specificationis, et exercitii bonitatem suam Deum diligere, ita certum ut disquisitione non egeat.

3 Ipsa Conditoris voluntas in se licet simplicissima secundum inadaequatas conceptiones, quas de ipsa nobis efformare permissum, varias sortitur divisiones: ipsas referre mihi haud erit iniucundum.

4 Voluntatem consequentem semper adimpleri, etsi antecedens suum non semper sortiatur effectum, qua ratione valeat aliquis inficiari, plane non video.

5 Tamquam certissimum, ac indubitatum constituo Terrarum, Coeli-que Satoris circa salutem hominum voluntatem metaphoricam non esse, sed veram, sinceramque.

6 Voluntas Dei antecedens si praecipuus eius effectus spectetur, est conditionata.

7 Illam vero talem esse non a conditione, quae ab hominum pendeat libertate, sed quae in Creatoris arbitrio sit posita pro certo habemus.

8 Gratiam sufficientem, quam D. O. M. omnibus omnino hominibus, interposito etiam sacramento, promissit; eis abunde largitur.

9 Non eodem modo, sed longissime diverso actus quosvis, quos in manu consilii nostri reliquit Dominus ab aeterno praedestinavit: aliter, atque aliter bonos, et malos.

10 Divinorum decretorum efficaciam circa liberas actiones quasque ab omnipotentissima Dei voluntate repetendam, ad miraculum usque demonstravit Ang. Praeceptor, quod et nos tanti Doctoris vestigia sectantes fideliter amplexabimur.

11 Etsi totum qua late patet, terrarum orbem perscruteris, malum nullum adinvenies, quod directe a Deo efficiatur: illud vero quod naturae appellamus, et poenae indirecte interdum ab eo causatur.

12 Ad mali cul-pae entitatem non simultanee, et permissive tantum, sed positive quoque Conditorem concurrere ita compertum, ut nulla iam dubitatio suboriri posse videatur.

PRAEDESTINANS PROVIDENTIA.

ECCLESIAE DOGMATA.

- 1 **P**rovidum Numen adeo nitide clamitant Sacrae paginae , ut earum elenchum , et indicem texendum aggrediar , si cuncta ad id evincendum opportuna oracula referre velim.
- 2 Ad vilissima usque , et minima eius providentiam non se extendere quidam sibi inaniter blandiuntur : sed delirant profecto.
- 3 Me stupor ingens incessit , dum apud Originem virum alias omni laude dignissimum , legerem animas ante sua corpora procreatas , ex earum ante unionem ad corpus meritis fuisse praelectas.
- 4 Manichaeis dant manus , qui quosdam natura sua bonos , quosdam malos esse , indeque istorum reprobationem , illorumque praedestinationem originem ducere vel tantisper adseverant.
- 5 Quid de his , qui eam meritis sola liberi arbitrii virtute comparatis asciscunt , dicendum superest ? Pelagianis adiungendos esse Orthodoxorum una vox est , una sententia.
- 6 Iuste deseram eos , qui licet contra Pelagianos sustineant nos non posse propriis naturae viribus absque Dei gratia bona opera , quibus praedestinemur , facere ; contendunt tamen fidei , et bonae voluntatis ex solo libero arbitrio naturaliter prodeuntis praescientiam optatae praedestinationis causam esse : En versipelles Semipelagianos.
- 7 Aeterna aliquorum prae aliis ad vitam ordinatio , sive ordinantem , sive ordinatos respicias , certa fixa , et inconcussa manebit. Scit igitur Deus et quot , et quinam sint salvandi . Divinorum hic certe iudiciorum altitudinem demirari licet !
- 8 Ergo corrui humana libertas. Sequelam Pelagianorum Surculum , si catholice sapis , rideto.
- 9 Aliquem de sua praedestinatione , revelatione seclusa esse certum , tam longe a veritate catholica abest , quam Occidens ab Oriente.
- 10 Pro arbitrio ariolantur , et fingunt , qui , extare quorundam ad supplicium destinationem , seu , ut aiunt , reprobationem , ore nimis duro sunt inficiati.
- 11 Scripturae passim adserunt Deum nemini seclusis praevisis demeritis aeternae damnationis poenam decernere. Earum suffragio haeterodoxi stare , si quis illis pudor est , compelluntur.

SCHOLAE POSITIONES.

- 1 **P**raedestinationem ad gloriam M. P. Augustino duce , sic defini lubet : Praescientia , et praeparatio beneficiorum , quibus certissime liberantur , quicumque liberantur.
- 2 Ea ita est homini necessaria , ut absque illa non ullus aeternam possit consequi salutem.
- 3 Aliquorum ad gloriam praeordinatio , ita est omnino gratuita , ut ex omnibus , quibus sufficientia ad salutem confert auxilia , nonnullis tantum , quibus placet , efficacia ad finaliter perseverandum largiatur.
- 4 Efficax vocatio , iustificatio non intercepta , et gloriae adeptio sunt primi , et nobilissimi praedestinationis effectus.

5 Vocatio inefficax , et gratiae per peccatum interceptio in electis sunt etiam praedestinationis fructus.

6 Bonum usum gratiae , et merita inde procedentia inter praedestinationis foetus habeto.

7 Vel ipsam peccati , dempto finali , permissionem prout maiori praedestinati sanctificationi deservit , inter effectus adnumerari praedestinationis , praeunte M. P. Aug. fidenter sustinebimus.

8 Non in mera praedestinationis negatione , sed in positivo actu , quo Deus quosdam culpa sua a gloria deficere , et propter culpam infligere damnationis poenam permittit , sitam dicimus reprobationem.

9 Illorum vota excipimus , qui reprobationis negativae rationem non ex nostris demeritis , sed ex divina bonitate exhauriendam iri autumarunt.

10 Horum prae illis in gloriam electionis rationem , praeter divinam , iustissimamque voluntatem , invenies nullam.

11 Deus neminem positive excludit a gloria titulo beneficii indebiti , et ante praevisa demerita : sicque reprobatio negativa non est voluntas excludendi a gloria ante culpam.

12 Peccatum originale , licet sufficiens Divina accedente voluntate reprobationis motivum , iis , quibus est remissum , istud non ingreditur.

13 Ut aliquid sit effectus reprobationis nonnullas requirit condiciones , in quibus enucleandis , sicuti et in effectuum enumeratione , totus ero rogatus.


14 ; Mirum quot sint homines praedestinati ! Determinatus vero eorum numerus illi solum est notus , qui eos praeordinavit : si tamen cum reprobatorum caterva compares , eum longe minorem invenies.

15 Aliqua lucis crepuscula ex Sacra Scriptura , et SS. Patribus nobis coruscant , quibus praedestinationis nostrae nonnihil certitudinis habere possimus.

16 Reprobatio negativa altera , altera est positiva : earum notiones audies in circo.

DEUS TRINUS.

ECCLESIAE DOGMATA.

1  Aud facile potest investigari , qua mentis vertigine exagitati eo usque insanierint haeretici , ut inter unius personae angustias Trinitatem coarctarint : turbidum hunc delirandi modum ex impuris , foedatisque nugivendorum Iudaeorum lacunis pleno pectore ebiberunt.

2 Eos fabellae fictores , impostores , somniorumque somniatores merito appellamus , qui in oppositum declinantes extremum quaternitatem in natura divina dogmatizarunt.

3 Sempiterni Dei filium non praeextitisse priusquam in utero conciperetur blaterat Cerinthus : *Asseruit niveas corvi vulpecula pennas.*

4 Ab universo Catholicorum coetu summo consensu Antitrinitarios eiiciendos putamus , qui ex Deo Patre Filium ab aeterno genitum fuisse , id est non adoptione , et gratia , sed generatione , et natura , inficiantur.

5 Consequitur inde aeternum Dei Filium eadem cum aeterno Patre gaudere substantia. Ita adversus impietatem Arianam affirmamus , idque , si opus fuerit , sanguine rubricabimus.

6 Spiritum Sanctum esse dumtaxat accidens , qualitatemve , seu virtutem,

tem, Dei efficaciam, non autem veram, et subsistentem Personam magna nugarum congerie Sociniani nobis suadere conantur: numquam tamen votorum compotes evadent.

7 Individuam cum Patre, et Filio Paracletus obtinet naturam, quod ad oculum ex Dei tradito, scriptoque verbo evinceremus, nisi otiosi hominis esset in re compertissima demonstranda diutius immorari.

8 Spiritum Sanctum a Patre, Filioque procedere in dubium opinionem revocantem Graecorum fabulis, totum AEsopum olentibus, accensemus.

9 Filium a Patre, Spiritum Sanctum a Patre, et Filio mitti sacri eloquii dissertissimis verbis docemur: igitur nefas hac in re haesitantem tenere animum.

10 Illam tamen missionem, quae per imperium dicitur, quaeque in misso inferioritatem ostendit, a Personis Divinis longe abesse agnoscet quisque, si vel summa tantum facie Scripturae Sacrae inspiciantur.

11 Immanentes, seu ut Theologi loqui amant, *ad intra* dari in Deo processiones, quibus una persona sive ab alia, aut a duabus tamquam a simplici originis principio procedat communi Catholicorum calculo firmatur.

12 Si vero a me sciscitetur, quot sint in Deo processiones, duas tantum non plures, paucioresve indigitabo: altera per intellectum, qua gignitur Verbum, alia per voluntatem, qua spiratur Amor.

13 Processionem Verbi esse generationem, secus Processionem Spiritus Sancti omnium SS. Patrum suffragatur auctoritas.

14 Insolita est, nigroque cygno simillima illorum opinio, qui divinarum Personarum perfectionem aliquam aliam superexcedentem adinveniri fabulantur.

15 Illud certius, ac citra omne dubium ex PP. sententia definimus, aliquas relationes reales in Trinitate reperiri.

16 A catholicorum numero adscribendum esse putamus, quicumque Divinarum Personarum circuminsessionem negare non erubuerit.

SCHOLAE POSITIONES.

1 **N**ULLUS naturalis ingenii acie sublimissimum, omniumque maximum SS. Triados Mysterium, eiusque possibilitatem poterit commonstrare. Fidem tolle, certo comperies nihil: Potest tamen fide supposita variis congruentiis suaderi, et ab impugnantium argutationibus vindicari.

2 Veteris legis Patriarchis, ac Prophetis, iisque, qui eximium sanctitatis gradum sunt assequuti, Mysterii huius cognitionem concessam fuisse facile crediderim ego.

3 Vulgus tamen Iudaicae gentis illius notitiam obtinuisse nec verum quidem servat speciem.

4 Principium quo remotum Divinarum processio est Divina natura, proximum intellectus, et voluntas prout relationibus Paternitatis, et Spirationis activae modificantur, principium vero quod Persona Patris respectu Filii, Patris itidem, et Filii respectu Sp. Sancti.

5 ? Cur Filii sola, non Spiritus processio generatio sit appellanda? Si Ang. Doctori fides, rationem hanc statuendam putamus; quia Verbum procedit per intellectum, per voluntatem Spiritus Sanctus.

6 Omnibus vel rudioribus notum quatuor dari in Deo reales re-

*

la-

lationes , Paternitas , Filiatio , Spiratio activa , et Spiratio passiva.

7 Activa Spiratio non re , sed virtute a Paternitate , et Filiatione distinguitur.

8 Absoluta subsistentia , qua Deus per se , et independenter a quolibet alio subsistat , in ipso secundum se considerato , et relationibus , ac Divinis Personis praeintellecto locum habet quammaxime.

9 Pene omnium Theologorum suffragiis adducor , ut in Deo praeter absolutam subsistentiam tres relativas , et personales adseverem.

10 Angelicus Prae. quinque notas , seu characteres , quibus Divinae Personae cognosci , et inter se discerni valeant , non leviter innuit : in eius verba libenter iuramus.

11 Divinum Verbum *per se* , et *quarto* ut aiunt *modo* a Patre procedit ex cognitione non solum essentiae , et attributorum , sed relationum etiam , ac possibilium creaturarum ; nequaquam vero ex futurarum intuitu.

12 Bona adversariorum pace Spiritum Sanctum , ni a Filio procederet , ab eo realiter non distingui propugnabo.

13 Cum Patribus Graecis , et ex Latinis Hilario locutionem hanc *Spiritum Sanctum a Patre per Filium procedere* excipere non cunctabor.

14 Eis , qui Patrem , et Filium non unum , sed duo esse Spiritus S. principia tutantur , gravissimis ducti testimoniis iugulum petimus.

15 Invisibilis Divinarum Personarum missio est temporalis , et secundum gratiae santificantis donum.

16 Per illam Divinae Personae animae secundum substantiam fiunt praesentes.

ANGELORUM NATURA , ET DOTES.

ECCLESIAE DOGMATA.

1 **E**liminatam dic penitus Saducaeorum inscitiam , qui SS. Angelorum existentiam de medio tollere conantur ; haec enim Sacras paginas intuenti adeo obvia est , et perspicua , ut nulla iam vel levissima dubitandi ratio , suboriri posse videatur.

2 Angeli non ab aeterno producti sunt , sed in tempore a manu exierunt opificis Dei : contraria haereticorum adsertio momentis futilibus , vitiumque undequaque ducentibus nititur.

3 Se deridendos potius , quam refutandos propinant , qui Angelos nedum seipsos , et Deum agnoscere , sed et singularia materialia illorum subiacere cognitioni temere inficiantur.

4 Coelestes istae naturae et mereri , et peccatum peccare potuerunt : stant undecumque , omnique ex capite invictae probationes , quibus hoc Catholicum Dogma ad oculum commonstratur.

5 Sanctos hosce spiritus ad haec inferiora ministranda mitti quandoque A catholici pernegarunt ; sed nihil magis hac in parte illorum exsufflat vanitatem , quam Pentateuchi liber , si sedulo inspiciatur.

6 Ceu falsum ariolum Calvinum despiciamus , qui eximiam erga homines Angelorum custodiam Catholicorum ineptum commentum ausus est appellare.

SCHOLAE POSITIONES.

- 1 **T**ongissime ab illis, qui Angelorum existentiam naturali ratione probari posse autumarunt, libenter discedimus.
- 2 Eorum creationem ante Mundi exordium fuisse finitam Graeci speculantur: nos cum illo conditos esse probabilius arbitramur.
- 3 Illorum votis annuimus, qui spirituales hasce intelligentias in supremo coelorum, quod Empyreï nomine donatur, conditas fuisse dextra tutantur.
- 4 Angelorum numerus licet maximus, stupendusque sit, tamen infinitus haud est.
- 5 Angelos nulla prorsus materia, et si spiritualem fingas indutos esse, absque oscitatione sustineri valet.
- 6 Tenuia fortasse corpora sibi naturaliter unita, Angelos operient. Haecine vobis placent? Mihi penitus iniucunda.
- 7 Ab Angelis nonnumquam corpora, in quibus vera sensitivae vitae opera non exercent, adsumuntur absdubio.
- 8 Coelestis Spiritus naturali beatitudine in prima sui conditione donatus, supernaturali allophylus fuit.
- 9 Absque Divinae gratiae auxilio in Deum supernae licet eorum beatitudinis obiectum tendere Angelos, fuit pura chimera.
- 10 Angelis non solum sine vitio naturam largitus est Deus, antequam ad felicitatem pervenirent, sed gratiam etiam, et caritatem, qua possent Deo adhaerere, sibi que plenissimam gloriam promereri.
- 11 Ea omnia in prima sui conditione Angelos accepisse mihi quidem est probabilius.
- 12 Secundum suorum naturalium quantitatem, gratiam, et gloriam Angelos accepisse censemus.
- 13 Illis haud possum non adhaerere, qui Angelos supernaturalem beatitudinem meruisse testantur.
- 14 Idque per opera tempore beatitudinem praecedentia, non autem per ea, quae tempore sequuntur, accidisse putamus.
- 15 Primum Angelorum peccatum, cuius poenam in aeternum damnati luent sine fine duraturam, non omissionis, sed commissionis, superbiae scilicet fidenter adpellamus.
- 16 At qua via, quavē rimula peccatum in Angelorum mentes irrepsit? en implexam difficultatem, in cuius enucleatione totus ero.
- 17 Adserentibus Angelos in primo suae creationis instanti nec peccasse, nec peccare potuisse, mire concinit Ang. Prae. nobis una mens est.
- 18 Eos oppugnandos aggredimur, qui Doemones tibi volunt, adesse, ubi nolunt abesse, iurare non erubuerunt. Divinae virtutis instrumentum, quo illi per aevum torquentur, ignem volumus esse.
- 19 Omnes Angelos in tres Hierarchias, et unamquamque in tres ordines dispertitam invenies: Ergo novem sunt Angelorum chori? ita sane.
- 20 Uniuscuiusque nomen, propriumque, in quod ex Divina ordinatione deputantur, ministerium audies in arena.
- 21 Licet omnes Angeli ad Deo inserviendum sint destinati, non omnes tamen, sed inferiorum ordinum in ministerium visibiliter mittuntur.
- 22 Singulis singulorum non tantum Regnorum, verum etiam Provin-

ciarum, Ecclesiarumque curam Sanctis Angelis demandatam volumus.

23. Eritne in Doemonibus sua quoque Hierarchia, et Praelatio? si gratiam, et gloriam, a quibus exciderunt, spectes, neutram invenies; utramque, si naturam: cave tamen putes, hinc eorum poenae factum esse dispendium.

24. Estne suus cuique malus Angelus ad exercitium, sicut bonus ad custodiam? Esto pro arbitrio iudex.

ULTIMUS HOMINIS FINIS, ET BEATITUDO.

ECCLESIAE DOGMATA.

1. **N**ulla penes garrulos illos commenti sui stabit usura, qui originis sui, ac conditoris obliti rationalis creaturae beatitudinem in divitiis, honoribus, gloria, potestate sitam esse arbitrantur.

2. Aristippus, eumque infelici sequutus pede Mahometes veram hominis felicitatem in corporis voluptatibus collocandam esse putarunt; illorum error aliunde non proficiscitur, quam a morum turpitudine, ex qua tamquam ex impuro fonte, manavit.

3. Delirantium quoque somnia amplexantur Stoici virtutem tamquam summum bonum venditantes.

4. Igitur mente, et sensu capti sunt, ac malenati catholicae fidei synophantae, qui vel levissime inficiantur obiectivam beatitudinem in solo D. O. M. esse reponendam; solus enim ipse humanorum cordium exple-re valet cupiditates.

5. Clara supremi numinis visio animabus corpore exutis, ac plene purgatis nec ad minimum differtur tempus: Millenariorum argumenta facimus teruntii.

6. Ridendi omnino veniunt, ac omnium cachinnis excipiendi, qui in coelo regnantes Beatos peccato innodatos esse, vel conspurcari quandoque posse impudentissime tutantur.

7. Quam semel acquisiere Beati felicitatem, amittere nusquam valent: facillimum nobis erit refractarios cavillatores ex Scripturis refellere.

SCHOLAE POSITIONES.

1. **S**atin sanus erat Vazquesius dum fini, qui dicitur intermedius, veram illius rationem negavit? minime gentium. Actiones, quae a deliberata voluntate procedunt, rite perpensae hominem propter finem operari demonstrant.

2. Etiam agentia coetera, diverso licet modo, propter finem operantur.

3. Unum asserenti ultimum totius humanae vitae finem, duplicemque in particulari neganti, ultro subscribimus.

4. Nihil ex his, quae advertenter agimus, subterfugit ultimi finis actu, virtuteve causalitatem.

5. Eorum placet opinio, qui beatitudinis essentiam non in pluribus, sed unico tantum intellectus actu positam adseverant.

6. Fruentes Deo Beati ad eum etiam quoad exercitium amore prosequendum coguntur; Felix amandi necessitas!

7. Ex Ang. Prae. Beatos immensum bonitatis pelagus possidentes absoluta impeccabilitate gaudere sumus mutuati. Sen-

- 8 Sententiam, quae Sanctorum felicitatem ex suapte natura perpetuam, inamissibilemque propugnat, caeteras inter seligimus.
- 9 De tribus animi, quatuorque corporis dotibus, necnon de Beatorum aureolis, si audire lubet, percontare.

HOMINUM OFFICIA.

ECCLESIAE DOGMATA.

- 1 **D** Atienter quis ferat horrendum Calvinii dictum, execrandamque ejus vocem abs stirpe primi criminis libertatis iacturam repetentis! Qui ei adsentire voluerit magnam fidei ingerit iniuriam.
- 2 Ad merendum, vel demerendum in statu naturae lapsae requiritur libertas a necessitate, nec illa, quae a coactione dicitur, sufficit: adversariorum opinio impium est Iansenii iudicium.
- 3 Posse a recto fine deviare ad libertatis essentiam non pertinet, idque constanter adserimus ob Dei testimonium falli omnino nescium.
- 4 Libertas indifferentiae sub Deo motore non perditur: Catholicum hocce dogma inficiantur Lutherani, qui dum coeteris acutiores, et de meliori luto formati videri volunt, in absurda quaeque labuntur.

SCHOLAE POSITIONES.

- 1 **A**NG. Prae. vestigia sequuti sic voluntarium definimus: *Quod est a principio intrinseco cum cognitione finis.*
- 2 Coactionem invenies nullam in actibus a voluntate elicitis, bene vero in imperatis.
- 3 Involuntarium prorsus censemus actum, quem voluntas ineluctabili violentia elicit.
- 4 Actio ex metu facta, aliunde non facienda, est involuntaria secundum quid, sed voluntaria simpliciter.
- 5 Quid de antecedente concupiscentia dicam? quod licet voluntarium absolutum adaugeat, minuat tamen perfectum, liberumque.
- 6 Citra dubium habeto ignorantiam, quae antecedens dicitur, omni ex parte involuntarium, consequentem voluntarium simpliciter, et concomitantem tantummodo non voluntarium causare.
- 7 Varias libertatis divisiones, multiplicemque illius radicem audies in arena.
- 8 Inter illius definitiones nobis arridet cum Ang. Prae. eam his circumscribere: *Vis electiva mediorum servato ordine finis.*
- 9 Inoffenso pede ad nos accedere, quotquot ad arbitrii libertatem praeter voluntarium rationale immunitatem a necessitate non exigunt, haud patiemur.
- 10 Suadet non una, sed multiplex ratio, libertatem, stante indifferenti iudicio, voluntati adesse.
- 11 Voluntatem sola bonitas movet, malum vero nisi aliqua boni larva fucatum, nequiquam illam turbabit.
- 12 Hominis actiones primam, essentialemque bonitatem, malitiamve ab obiecto moraliter considerato mutuuntur.
- 13 Minus bonum voluntas, ni practicum mutetur iudicium, haud eligit. Igitur electio semper est de meliori bono? ita profecto.

Mo-

14 Moralitas licet praesupponat libertatem, per illam tamen non constituitur.

15 Per tendentiam, seu relationem realem transcendentalem ad obiectum regulis morum subditum constitutam volumus.

16 Circumstantiae, finis praesertim, humanis actibus bonitatem, aut malitiam mutant.

17 Licet circumstantiae aliquando tantum aggravent, aut minuant bonitatem, et malitiam, plusquam semel novam peccati speciem constituunt.

18 Specificam, essentialemque bonitatem actui bono ex obiecto ad rectum finem ordinato tribuit obiectum, accidentalem finis accomodat.

19 Malitia vel indirecte intenta maculat actionem, proba e contra non erit nisi formaliter, et directe illius honestas intendatur.

20 Bona intentio mala electione coinquinatur; et malam electionem bona intentio haud cohonestat, licet quadantenus eius turpido minuatur.

21 Duplicem, alteram ex obiecto, ex fine alteram, bonitatem, seu malitiam, actus insimul adunare potest.

22 Actus alias bonus, cuius malus finis adaequata electionis ratio est, nullam induit bonitatem, sed undique malitia circumscribitur.

23 Verum tamen si malus finis adaequata non sit ratio, cur eligatur, bonitatem, et malitiam copulabit.

24 Licet nonnullae hominis actiones seorsim sumptae sint indifferentes, dum ab illo deliberate procedunt, malitia, bonitateve gaudent.

25 Ne humana voluntas erga Deum sit foedifraga eius *volito*, quod aiunt, *formali*, secus *materiali* concors esse debet, nisi Dei innotescat praeceptum, aut prohibitio.

26 Essentialis praemii, aut supplicii quantitas apud Deum ex interiori voluntatis affectu, accidentalis ex affectu voluntatis externo pensatur.

CONSCIENTIA MORUM REGULA.

ECCLESIAE DOGMATA.

1 **R**ustra quaeritur catholicus, qui non asserat iunioris alicuius opinionem haud debere censi probabilem, licet nesciatur a Sede Apostolica tamquam improbabilem esse reiectam.

2 Generatim dum de probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca etiam si a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, non semper prudenter operamus.

3 Hinc quotquot in meridiana luce non omnino coecutiunt, clarissime colligunt ab infidelitate excusandum non esse infidelem haud credentem ductum opinione minus probabili.

4 Illicitum est in collatione Sacramentorum sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti derelicta tutiori.

5 Ne minimam quidem prae se fert probabilitatis larvam, iudicare posse iudicem iuxta opinionem minus probabilem.

6 Licitumne erit iudici, quando litigantes opinione haerent aequae probabili, pecuniam accipere pro ferenda sententia unius prae alio? Procul facessat garrulitas execranda.

7 Praeposterae sunt, et spuriae ratiunculae, quibus nonnulli eruere sibi videntur, sequi fas non esse opinionem inter probabiles, probabilissimam.

8 Intimo sensu quisque deprehendet temerarium esse asserere, genuini Probabilismi usum tutum esse quam maxime, Probabiliorismi vero admodum periculosum.

9. Temeritatis quoque nota irretitur sustinens nullatenus ad christianam perfectionem aliquem tendere posse, ni Probabilismum sequatur.

10 Nihil magis veritati repugnans, et a nostra sententia alienum, quam quod fingitur usum genuini Probabilismi in laxitatem degenerare non posse, eos vero, qui Probabiliorismo utuntur in rigorismum debere pedentim incidere.

11. Probabilioristis, qua talibus, qui scilicet ex praecepto ipsosmet, aliosve ad probabilia constringunt, temerario ausu Rigoristarum nomen imponitur.

12 Qui ex consilio dumtaxat probabilia sequuntur laudabilissime non operari, pleno ore confitemur.

13 Erroneum est, ne quid peius dicam, Probabilismum tamquam Christo Domino summe familiarem praedicare.

SCHOLAE POSITIONES

1 **C**onscientia morum regula ita apud Theologos audit: *iudicium, seu dictamen practici intellectus ex principiis communibus dictans hic, et nunc aliquid aut faciendum, ut bonum, aut fugiendum ut malum.*

2 Eius divisiones referre paratus incedam.

3 Contra conscientiam sive praecipientem, sive prohibentem tam veram, quam erroneam, etsi ~~in~~vincibiliter, operari nefas nobis est.

4 Conscientiae invincibili errore laboranti, dum aliquid esse praceptum dicitur, obtemperare debemus.

5 ² Quid si illa vincibiliter erret? vel, ut tenemur, deponenda, vel illi obediendum est.

6 Dum subditus dubitat, aut probabilius iudicat Superioris praceptum de re illicita esse, potest, et tenetur aliquando, ex principiis moraliter certis sibi conscientiam efformando, illi obedire.

7 Quisquis absque conscientia moraliter certa operatur, debitam morum regulam non est subsequutus.

8 Fas nobis haud est in conflictu duarum opinionum, ubi de obiectiva actionis honestate agitur, minus probabilem, minusque tutam probabiliore, tutiorique praeponere.

9 In concursu vero duarum, quarum unius fundamenta ad alterius aequivalent, tutiorem sequere.

10 Nec feram Vendrokiū, et assecas, nefas, dum de sola obiectiva actionis bonitate agitur, esse sequi opinionem probabiliorem, minusque tutam libertati faventem in concursu tutioris, minusque probabilis, iactitantes.

11 Absolutionem impendere non debet Confessarius poenitenti opinione ducto minus probabili, quam ille improbabilem reputat, si eam deserere reluctetur.

12 ² Eritne mihi licitum sequi opinionem, quae nonnullis probabilior, mihi autem minus probabilis directe videtur? Neutiquam.

13 Nefas est sequi sententiam, quam prima fronte probabiliorem existimo. Eos, qui in contrariam abeunt sententiam, certe demirror.

14 De Scrupuli natura, causis, remediis, interroga, et perpauca audies.

PECCATI NATURA, ET SPECIES.

ECCLESIAE DOGMATA.

- 1 **O**Mnia omnino peccata paria esse venditant Stoici; Ipsis adherentes Socinianos, ac Novatianos, aliosque huius furfuris nebulones quamplurimos patienter quis ferat?
- 2 Turpiter labuntur, ac mendaces sese produnt haeretici contendentes primo primos sensualitatis motus, qui omnem rationis advertentiam praeventunt, quosque patimur inviti, licet circa obiecta graviter illicita versentur, peccata esse vel etiam venialia.
- 3 Haereseos hydra Lutherus ius positivum divinum ab iis, quibus nondum fidei splendor affulsit, ignorari haud posse tuetur; Vah coecam mentem!
- 4 Igitur fateantur, velint, nolint, miseri recutiti Lutherani quaecumque ignorationem, quae superari nequeat nullum nescienti adferre detrimentum.
- 5 Haeretici naeniarum, ac fabularum esca gregalium suorum spes crudas alunt, Deum peccati auctorem, et causam esse ore nimis duro blaterantes: suam enim nobis D. O. M. haudquaquam inspirare, suadere homini peccatum.
- 6 Omnes ad unum homines ab Adamo virtute seminis propagati, nisi praecipua gratia obstet, originis labe maculantur: suis retibus implicantur Coelestius, ac Julianus, dum suffugia quaerunt, quibus eliquatissimae huic veritati nebulas offundant.
- 7 Falsitatis quoque reos agimus, qui omne scelus eius adstruunt conditionis, ut suum auctorem, omnesque illius posteros eo modo inficere queat, quo infecit prima transgressio.
- 8 Communi Catholicorum lege tenemus ex qualibet lethali culpa peccatoris animam commaculari.
- 9 Coeca nonnullorum haereticorum dementia est, a qua quam longissime volumus abesse, per quodcumque lethale peccatum duplicem poenae reatum damni scilicet, et sensus non induci.
- 10 Peccatumne mortale in hac vita non dimissum in inferno poena haud plectetur aeterna? Dignum Calvino commentum.
- 11 Lethali tamen crimine quoad culpam dimisso, temporariae poenae reatum quandoque remanere primo conspectu cernimus.
- 12 Calvinistarum putidum commentum est, ac pro arbitrio confictum peccata venialia a mortalibus natura sua non esse distincta.
- 13 Res plena est, et omnibus numeris absoluta peccatum lethale sempiternae poenae reatum inducere; veniale temporalis dumtaxat.

SCHOLAE POSITIONES.

- 1 **C**Himaeram fingere potius videtur, qui virtutem, vitiumque in eodem copulari subiecto arbitratur.
- 2 Vitium sive acquisitis, sive infusis virtutibus oppositum inclitae hominum naturae est disconveniens.
- 3 Utrisque ulnis, quam S. Aug. tradit, peccati definitionem, accipimus: *Dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei aeternam.*

Po-

- 4 Potius D. O. M. existentiam, quam peccato eum offendi pernegato.
- 5 Eo actus, etsi ex obiecto bonus, fit malus, quod omissionis actus praecepti causa, vel occasio est.
- 6 Ab obiectis, in quae tendunt peccata secundum speciem in esse moris diversis, specificam capiunt distinctionem.
- 7 Numerica eorum distinctio, et ex obiectis numero diversis, et ex morali actuum voluntatis interruptione mendicatur.
- 8 Veritatis osoribus, quicumque omnia peccata inter se connexa esse contendunt, sunt adscribendi.
- 9 Peccatorum inaequalitas ex obiectorum inaequalitate, ex virtutibus, quibus opponuntur, ex circumstantiis tandem, quibus comitantur, venit aestimanda.
- 10 Peccati subiectum triplex dumtaxat reperire est; voluntatem scilicet, appetitum sentientem, et rationem; membra, sensusque externos excipito.
- 11 Ne veniale quidem in sensitivo appetitu, nisi aliquem a voluntate consensum extorserit, peccatum invenitur.
- 12 Homo rationis compos obvia iuris naturae praecepta, quae primae, et secundae classis dicuntur, non potest inculpatim nescire: cave tamen ne idem de remotioribus, et obscurioribus, quae tertiae sunt classis, iudicium feras.
- 13 Invincibilis poenae a lege exactae ignoratio nisi extraordinaria, aut Ecclesiastica censura sit poena, ab ea non liberat transgressorem.
- 14 ? Ecquis in voluntate habuit peccatum, cuius intellectus practico errore haud fuerit obnubilatus? Nullus profecto, nullus.
- 15 Originis peccatum in ipsa rationalis animae natura Iliricus constituit; delirium rideto: ipsum actuale Adae peccatum esse, Pighio arrisit; fabellam subrideo.
- 16 Privatio originalis iustitiae nobis in capite voluntaria originalis noxae essentiam constituit; stat pro materiali concupiscentia.
- 17 Deum inter, et Adam, cuius voluntas pro nostra erat, pactum non extitisse, negare audebit, qui SS. Augustinum, et Thomam deserre haud erubuerit.
- 18 Ex carne seminatrice concupiscentia propagata, anima inficitur; et ideo originaria labes in omnes pervadit, quod haec iam polluta, vitiataque caro seminaliter in lumbis Adae praextiterit, atque hic voluntaria praevaricatione naturam corruperit.
- 19 Si Eva, Cain, aliusve ex illius porteris, Adamo non peccante, primo peccasset, universa illorum soboles omni procul dubio maculam haud contraxisset.
- 20 Sita est peccati lethalis macula non in reatu poenae, externa denominatione, habitu, aut dispositione in bonum commutabile inclinante, sed in privatione gratiae cum ordine ad praeteritum actum malum.
- 21 Suam etiam veniale peccatum maculam, quae gratiae nitorem non extinguit, inducit in animam.
- 22 Fidenter refellimus eos, qui unum peccatum alterius, aliquo saltem sensu, poenam esse posse inficiantur.
- 23 Lethale peccatum ex intrinseca sui ratione aeternae poenae reatum, veniale autem tantum temporalis debitum inducit.
- 24 ? Ergo veniale numquam poena plectetur aeterna? Neutiquam, ea enim punitur homo, dum utroque mortali scilicet, et veniali irretitus in avernum cruciandus adigitur. Par-

- 25 Parvuli ex hac vita sola originali noxa illaqueati decedentes nulla, quae sensus vocitatur, poena vexabuntur.
- 26 Quotquot recte sapiunt, veniale peccatum ad mortale viam aperire, amplectentur.
- 27 Venialia peccata saepe saepius iterata mortale nullo in aevo peragent.
- 28 Unde peccatorum gravitas, aut levitas sit aestimanda, licet grave Theologis facessat negotium, ad diluendum, enodandumque totus ero.
- 29 Una fere omnium Theologorum vox est, bonum commutabile mortaliter peccanti ultimum finem statutum iri.
- 30 Homo in statu innocentiae constitutus, prius gravi non irretitus crimine, veniale non poterat perpetrare.
- 31 Mortali culpa homo innodabitur, ni ad Deum, quoquo irradiatur modo, ad rationis usum perveniens extemplo convertatur.
- 32 Ab illis, quibus veniale peccatum cum solo originali coniungi probabile est, discedimus quammaxime.

IURIS, ET AEQUI REGULAE.

ECCLESIAE DOGMATA.

- 1 **L**EX sacris litteris liquet, Leges condere penes communitatem esse; qui vero illius curam gerit hac quoque pollet potestate.
- 2 Gaudet Ecclesia vi legislativa, eaque in summo Pontifice, ac Conciliis generalibus residet pro toto, qua late patet, Catholicorum coetu; in Synodis Nationalibus pro regno, provincia, cet. Haereticorum demeritiam refellemus.
- 3 In civilibus leges apponere valet, quicumque non ligata pollet iurisdictione.
- 4 Principes malos potestate leges condendi non potiri contendunt Novatores, quorum deliria cordatus nullus est, qui velit audire.
- 5 Sacrarum Scripturarum telo a nobis petuntur haeretici, dum eos audimus effutientes, legibus a Principibus latis Christianos omnes quacumque iustitia praeditos non obligari.
- 6 Peccat proculdubio populus, modo iusta non obsit causa, legem non suscipiens a Principe promulgatam: Aatholicorum argutias hac de re flocci facimus.
- 7 Legum Ecclesiasticarum inobservantiam, culpam esse ad conscientiae forum deferendam ille adseverabit, qui salutarem catholicae fidei doctrinam amplecti, et observare voluerit.
- 8 Hinc praeceptum servandi festa obligat sub mortali, etiamsi absit contemptus, et scandalum seponatur.
- 9 Nostra hodie desudabit industria in illorum commento refutando, qui hominem ab ea legis parte, quam potens est adimplere, liberant observanda, eo quod totam legem forsitan haud valeat sustinere.

SCHOLAE POSITIONES.

- 1 **L**EX Ang. Prae. hanc legis definitionem compilavimus: *Ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet promulgata.*
- 2 Lex aut non est, aut bonum commune respicere, et pro universa, qua late patet, communitate ferri debet. Spon-

3 Sponte sua ruit opinio, quae nullam legis requirit promulgationem, ut communitatem actu obliget: cave tamen putes ad illius essentiam pertinere.

4 Lex quatuor suis actibus praecepto scilicet, prohibitione, permissione, et punitione hominum rectitudinem meditatur.

5 Eos, ceu totidem Bellerophontes oppugnandos aggrediemur, qui aeternam Deo legem temere pernegarunt.

6 Aeternam Dei legem sic definire lubet: *Ratio divinae sapientiae, secundum quod est directiva actionum, et motuum creaturarum in ordine ad commune totius universi bonum.*

7 Non ullam omnium legum scaturiginem praeter aeternam legem cognoscimus.

8 Primum inter eas sibi arrogat locum lex naturalis, quae nihil est, quam aeternae legis in mente hominum per participationem incommutabilis rationis Divinae facta transcriptio.

9 Naturalis lex constans adeo, et immutabilis est, ut nec illius auctor propriam in ea dispensationem concedere valeat; eius tamen materies plusquam semel ab initio passa est vicissitudinem.

10 A fortiori homo nullus, ne Romanus quidem Pontif. aut pro se, aut pro aliis Legis observantiam dispensatione subterfugiet.

11 Naturalis Legis nulla Epiikia inveniri valet, aliquam licet patiatur interpretationem.

12 Humanae Leges alter aeternae surculus, attenta hominum pervicacia, omniumque corruptione, ita Reipublicae sunt perutiles, ut nec illi virtutem, nec ista pacem his de medio sublatis habere, et conservare valeat.

13 Humanam Legem in Ecclesiasticam, et Civilem bipartitam agnoscimus: utriusque qualitates referre incedimus parati.

14 Eam legis promulgationem, positivo iure secluso, ut quis ea ligetur, necessariam ducimus, qua in subditorum notitiam valeat moraliter pervenire.

15 Attento iure Caesareo in singulis Provinciis, seu in earum Metropoli, ut in his obliget, Lex imperialis promulganda est.

16 Romanorum Pontificum leges ius novum, novamque inducentes obligationem, in singulis Provinciis, seu Dioecesibus, nisi contrarium earum exprimat auctor, sunt edicendae: secus si antiquum sive naturale, sive Divinum, sive humanum sufficienter promulgatum declarent.

17 Onerosam legem tunc revocatam censemus, cum illi contraria Legislatoris intentio, licet promulgatio deficiat, extrinsecus manifestatur.

18 Privilegii, seu gratiae revocatio per communem legem facta suum sortitur effectum, statim ac in Provinciae Metropoli promulgatur.

19 Si per Nuncium revocatio fiat, priusquam Privilegiato innotescat, irritum haud erit privilegium.

20 Audiendus non est, qui Legem Caesaream ante binos a promulgatione menses ligare censet; modo nullum a Legislatore tempus praefigatur.

21 Quivis, vel invitus, Ecclesiasticas, et Civiles Leges acceptare, eisque obedire tenetur.

22 Interior actus, qui nihil cum exteriori habeat commune, Ecclesiastica lege neque praecepti, neque inhiberi potest.

23 Ultra metas sibi praefixas Ecclesia praecipiens internos actus, qui

H

ut

ut externi certam moralitatis speciem constituent, sunt necessarii, non excurreret.

24. Probabilitatis limitem non superat sententia eorum, qui humanam legem actum internum, cuius effectus etsi per accidens fuerit externus, praecipere, aut prohibere posse adseverant.

25. Nullam eorum dictis, qui opus ex charitate, aut virtutis habitu fieri, ut praecepto fiat satis, volunt, fidem adiungimus.

26. Legis debitum persolvat, qui opus ab ea praeceptum, animo licet obluctante, debito modo posuerit.

27. Poennalis lex et faciendi, quod praecipit, et poenae, quam statuit, subeundae obligationem involvit.

28. Nisi Iudicis sententia praecesserit, nulla poenalis lex latae sententiae reum ad subeundam poenam activam in foro conscientiae obstrictum tenebit.

29. Ad subeundam ante Iudicis sententiam poenam privativam, licet paucae obligent, obligare tamen possunt.

30. Praeunte Iudicis sententia, reus poenales actiones, quas facilius ipse, quam Iudex, eiusve Minister obire potest, executioni mandare tenetur.

31. Utroque pollice subscribimus exigentibus et materiam gravem, et intentionem in Legislatore tali modo constringendi, ut Legis transgressor lethalis peccati reus evadat.

32. Negabunt profecto quotquot recte sapiunt, humanam legem cum gravi, vel imminente famae, honoris, imo et vitae periculo nullo in casu circumligare; nonnullos excipito.

33. Tum simplici actu, tum pluribus eodem tempore exercitis nonnumquam multiplicem legem possumus solvere.

34. Legum-latores et ab aliis acerrime, et a seipsis aliquo saltem modo legum suarum observantiam quandoque exigere debent.

35. Clericos, a Saecularium Principum legibus fidem, sacramenta, sacrosque ordines spectantibus immunes constantissime praedicamus.

36. Vectigalia tributa, et huiusmodi onera ab iisdem exigere, ex Principum saltem privilegio, nefas diiudicato.

37. Tenentur Clerici Leges communem spectantes gubernationem, nihilque sacris canonibus, et illorum statui adversantes observare? tenentur quoad directivam, minime quoad vim coactivam.

38. Idem fer iudicium de exemptis Religiosis quoad Episcoporum leges communem observantiam, totiusque Populi devotionem respicientes.

39. Rationis usu constanter carentes, ut infantes, et perpetuo amentes hominum legibus constricti haud debent intelligi.

40. Ad discretionis annos perveniens Puer, nisi aetati suae convenientes leges executioni mandarit, nefas admissit.

41. Ecclesiae non subditi infideles illius legibus non ligantur.

42. Advenae, et Peregrini patriis legibus, nisi, ut eas declinent, a Patria discesserint, non implicantur.

43. Itinerantes, vagi, ni moram legum observationi congruam duxerint, eas observare non debent.

44. Legum-lator, eius successor pari gaudens auctoritate, et superior legem abrogandi, a fortiori derogandi summa pollet libertate.

45. Cassam arbitror legem, dum eius finis adaequatus absolute, et simpliciter evanescit.

Con-

46 Consuetudo rationi concors leges et via conniventiae, et praescriptionis via auctitat. Utrumque ius tolle, et sententiam nostram deseremus.

47 Humanam legem vel irritantem liberae conniventiae, ac praescriptionis via rationabilis consuetudo abrogare, eique derogare valet. Quoad legem interpretandi potestatem idem esto iudicium.

48 Legislator, pari gaudens auctoritate successor, et superior suis legibus aliquem ordinaria potestate solvere possunt: inferior, quantum ipsi a jure, consuetudine, aut superiore fuerit concessum.

49 Iuris communis relaxatio pro libitu, et absque legitima causa a superiore in sua, vel inferioris lege inducta, etsi valida, vetita, et illicita erit: ab inferiore in superioris legibus facta, nec licita est, neque valida.

50 Dispensatio iusta de causa concessa, etiam ista deficiente, subsistit, nisi concessio pro tempore causae fuerit restricta.

51 Obreptio, aut Subreptio erga praecipuam dispensationis causam eam quassabit.

52 Nulla pariter erit dispensatio, si supra causam etsi impulsivam, minusve principalem ex allegantis malitia obreptio, et subreptio cadant: valida, si eius aut ignorantia, aut simplicitas in causa fuerit.

53 Reticentia veri ad moralem rei substantiam pertinentis, nullam reddit dispensationem; sicuti et reticentia illius, quod stylus Romanae curiae requirit, dum ab illa petitur dispensatio.

54 De Legum Interpretatione, et Epikia, ni quaeras, altum nobis erit silentium.

DEI GRATIA.

ECCLESIAE DOGMATA.

1 Nihil dissertius, nihilque apertius vel naturae lumine duce ostenditur non omne, quod agit peccator, aut peccati servus, revera peccatum esse.

2 Scripturarum suffragio turpiter abutuntur haeretici contendentes, quod in omnibus suis actionibus peccator dominanti serviat cupiditati.

3 Igitur prono alveo fluit non omnia peccatorum, ac infidelium opera, ceu crimina esse traducenda.

4 Homo lapsus a peccato resurgere haudquaquam valet, si divinae gratiae iuvamine privetur: adversariorum perfidiam, unde quaque id fieri possit, impetemus.

5 Risum tenere vix possum, dum Pelagianos audio effutientes naturalibus operibus posse nos vel de condigno, vel de congruo supernaturale gratiae iuvamen promereri.

6 Quantumcumque vires suas homo exerat, numquam se paratum reddet ad gratiam sive actualem, sive habitualementem suscipiendam, nisi actualis gratiae adiutorio praeveniatur. Igitur facessat vana Pelagianorum gloriatio.

7 Implacabili odio prosequemur, qui ad singulos pietatis actus Salvatoris gratiam non requiri contendunt.

8 Habitualementem gratiam hominem gratum facientem Dei donum non esse, ac animae intrinsece inhaerentem, non desunt, qui blaterent; verum hi figmenta a Lutero ebibita novis, iisque turpioribus commentis cumularunt.

In-

9 Interi gratiae in statu naturae lapsae nonnumquam homines reluctantare sustinemus.

10 Fungum pro cerebro habent absdubio, qui ad initium fidei, ac bonae voluntatis supernaturalem gratiam non requiri, temerario ausu trahunt.

11 Nullus est, qui dubitet hodie hominem mortalem hanc vitam agentem, speciali seclusa revelatione, certiolem fieri non posse, se gratiam Dei esse consequutum.

SCHOLAE POSITIONES.

1 **D**Onum supra naturam hominibus ex mera Dei misericordia meritum Christi intuitu concessum, dum gratiam audis, intelligere debes.

2 Gratia gratis data, et gratum faciens, quarum ista in propriam, illa in proximorum utilitatem potissimum confertur, eius divisionem constituunt. Alias patitur gratia, quas referre non cunctabor.

3 Omnium veritatum naturalium cognitio, absque speciali auxilio naturae superaddito hominis lapsi perspicaciam subterfugit; aliquas licet cum solo concursu generali, qui aliquo sensu potest dici specialis, valeat adipisci.

4 Post auscultatam Evangelii praedicationem potest homo lapsus cum solo praevio concursu generali veritates supernaturales assensu imperfecto cognoscere, et amplexari.

5 Sartum, tectumque est easdem veritates supernaturales ex Divinae revelationis motivo, seu supernaturali assensu absque speciali gratia interna tum ex parte intellectus, tum ex parte voluntatis homines credere non posse.

6 Homo lapsus sine speciali concursu naturae superaddito, sed cum solo generali, quem aliquo modo specialem adpellare licet, nonnullum bonum opus morale naturalis ordinis exequi valet.

7 Solae naturae vires sine reparante gratia ad Deum super omnia efficaci, et, ut aiunt, *adfectivo* amore prosequendum impares prorsus sunt.

8 ? Poteritne lapsus homo absque sanante gratia omnia legis naturalis praecepta quoad substantiam adimplere? Haudquaquam.

9 Omnia lethalia peccata contra naturae legem, omnesque tentationes peculiari gratia orbis, perosusque Deo homo sibi non temperabit.

10 Singularis gratiae praesidio opus est homini, ut venialia omnia peccata devitet.

11 Furiam potius te audire, quam hominem loquentem crederes, si vocibus illius, qui hocine privilegio donatam B. V. M. pernegat, aurem accommodes.

12 Quid per vulgatum, omnibusque notum effatum: *Faciendi quod est in se Deus non denegat gratiam*, intelligendum sit, nobis erit edisserere.

13 Homo vel iustissimus praeter habitualem gratiam, eique annexas virtutes ad singulos pietatis actus supernaturali Dei iuvamine indiget: eos autem diu, singulari dempto praesidio, haud continuabit.

14 Ab illis longe discedimus, qui gratiam, et charitatem unum, idemque donum esse contendunt.

15 Immediatum sanctificantis gratiae subiectum non anime potentias, sed eius essentiam iudicamus.

16 Sufficientem gratiam hominem ad opus potentem efficere, operantem

tem non facere , omnium Thomistarum praesidio suffulti , propugnare oppignoramus.

17 Sufficiens , quam admittimus , gratia non aliquid indivisibile tantum , sed plura nobis a Deo gratis concessa in salutem nostram ordinata complectitur.

18 Non rerum eventus , non scientiae mediae directio , non circumstantiarum congruitas , sed Dei voluntas habens humanorum cordium , quo voluerit , inclinandorum omnipotentissimam potestatem , gratiae tribuit efficaciam.


19 Exinde adversarii tamquam negatae libertatis reos nos carpunt : sed si ibi error , Ang. Praeceptor tamquam periculi nostri particeps , nobiscum corripendus. Et quis profecto audebit ? Socii dumtaxat Lutheri , Calvini , Melancthonis ::::: verbo hominum , quos Ecclesia , re mature perspecta exulare praecepit.

20 Livino de Meyer , aliisque nostrum de gratia systema a Ianseniano vix differre adserentibus credito : impostori fidem dabis.

21 Actibus liberi arbitrii a Deo moti , non moraliter tantum , sed etiam physice , et ex sui natura ad gratiae receptionem disponimur ; eam tamen effective non producant.

IUSTIFICATIO , ET MERITUM.

ECCLESIAE DOGMATA.

1  Uis vel mediocriter sapiens prima fronte non videt purum esse haeterodoxorum commentum in iustificatione impii peccati nequitiam tegi tantum , non autem funditus eradicari ? reperies profecto nullum.

2 Neque sola imputatione iustitiae Christi , nec per unum extrinsecum Conditoris favorem peccati macula abluimur : Abeant igitur in malam crucem , quicumque a peccatoris iustificatione gratiam , et charitatem excludunt per Spiritum Sanctum in illius corde diffusas , animaeque inhaerentes.

3 Locupletissimis SS. Scripturarum oraculis commonstratur fidem iustificando homini necessariam eam non esse fiduciam , qua crimina nobis deleri per Christum confidimus.

4 Et Atqui sola illa fides erit , qua veritatibus divina revelatione agnitis victas damus manus ? id uberrima sacri eloquii testificatione probabimus.

5 Nonnullorum inscitiam non sine stomacho reiicimus , quod sola vel Novatorum inani fide , vel ea , quae vera est Christianorum tessera , quocumque voluntatis motu seposito posse hominem iustificationis gratiam acquirere asseverent.

6 Homo per inhabitantem Spiritum Dei factus amicus , aliquid ab illo mereri potest , ipsam quoque beatitudinem. Quae id commonstrant Scripturae verba clariora sunt , quam ut cavillari quis possit.

7 Augmentum gratiae , et charitatis hominem iustum promereri non posse crambes instar recoctae nobis obtrudunt recentiores haeretici : ast nihilo felicius veteribus argutantur.

SCHOLAE POSITIONES.

- 1 **I**mpio in instanti iustificationis et infunditur gratia , et peccata remittuntur : ad id vero non in instanti communiter disponitur.
- 2 Impii iustificatio , etsi mirabilis , miraculosa tamen minime dici potest.
- 3 Iustificati actus , ut sit meritorius , nonnullas habere debet condiciones : eas recensere non me pigebit.
- 4 Homo iustificatus bonis suis operibus ex gratia inhabitante , et movente factis coelestem Patriam proprie , et intrinsece de condigno mereri potest.
- 5 Actibus sive infusae , sive adquisite virtutis iustus homo , nisi charitas in illos saltem virtualiter influat , vitam non promerebit aeternam.
- 6 Hominum nullus primam gratiam habitualement , neque de condigno , neque de congruo stricte , proprieque sumpto sibi merere valet.
- 7 Alteri praeter Christum nemo ius ad primam gratiam acquirere potest de condigno , etsi de congruo valeant regnantes cum illo electi , et iusti in terra mortalem vitam degentes.
- 8 Fluxa saeculi huius bona , prout homini ad futuri consecutionem utilia sunt , sub merito cadere possunt.

FIDES , ET SPES.

ECCLESIAE DOGMATA.

- 1 **I**ocis , ac facetiis ludunt Novatores contententes christianam fidem spiritus notitia privata niti ; sola quippe Ecclesiae auctoritas , et propositio idonea regula est dignoscendi revelata.
- 2 Supernaturalem fidem quovis tempore in adultis ad salutem necessariam esse , momenta adeo valida demonstrant , ut ferrei , et saxei simus necesse est , ni his commoveamur.
- 3 Obtusae mentis est proculdubio , qui fidem sub praeceptum speciale secundum se non cadere tenet , sed per accidens tantum , alteriusve ratione.
- 4 Satis ne erit actum fidei semel in vita elicere , ac Trinitatis , et Incarnationis Mysteria semel credidisse ? Ride , si sapis.
- 5 Mihi penitus mendaces , ac omnino deliri censendi sunt perfricta fronte inficientes adultis omnibus necessariam esse necessitate medii ad salutem explicitam fidem Dei auctoris gratiae , et gloriae remuneratoris.
- 6 Ludricum quoque est , ac longe falsissimum , quod quidam obtinent , licitum quandoque esse negare fidem corde retentam , falsamve exterius profiteri , vel morte ipsa imminente.
- 7 Transgressae legis scelere conspurcatur , qui a potestate publica interrogatus fidem ingenue non confitetur : igitur tacere , ut peccaminosum damnandum.
- 8 Peccatorem charitate amissa , supernaturali semper fide orbari falso , temereque commenti sunt Novatores ; solo quippe infidelitatis , et haereseos scelere valet deleri.
- 9 Infidelitas negativa in his , in quibus Christus nondum est praedicatus , peccatum non est : garrulatores id inficientes vapulabunt.

Eru-

10 Erubescant A catholici , imperiti Sacrarum litterarum ossores pro-
palare spem supernaturalem in viatoribus etiam impiis , qui nec despe-
rant , nec praesumunt , non remanere.

SCHOLAE POSITIONES.

1. **M**o I ssis nonnullis fidei acceptionibus , eam , de qua impraesentiarum agendum est , praeunte Apostolo sic definimus : *Sperandarum substantia rerum , argumentum non apparentium.*
- 2 Adaequatum virtutis huius materiale obiectum omnes a Deo revelatas veritates sub se comprehendit, formale vero summam Dei veracitatem.
- 3 Nec tibi credendum , si Ecclesiae propositionem , non summam Dei revelantis veracitatem , seu auctoritatem esse revelatis adstipulandi motivum , totis nisibus contendas.
- 4 Cavillatoribus refractariis , Deum per se , vel per alium aut mentiri, aut falsum dicere posse adserentibus , os Sacra Scriptura obturavit.
- 5 Ex his , fidem non posse assensum falsum elicere , neque ad illum inclinare , nemo fluere non videt.
- 6 Obscuritatem fidei obiecto necessariam non ut formalem eius rationem , sed ut conditionem omnino requisitam iudicamus.
- 7 Ingentis ignorantiae , et supinitatis specimen produnt , qui fidei nostrae mysteria esse evidenter credibilia tam temere pernegarunt.
- 8 Nostrae Religionis mysteria successu licet temporis a primaeva Ecclesia ad nos usque quoad explicationem creverint , eadem tamen quoad substantiam semper extitere.
- 9 Ex adultis nullus post Evangelium sufficienter promulgatum sine explicita SS. Trinitatis , et Incarnationis fide iustificationem , aeternamque salutem consequi poterit.
- 10 Fideles, nisi Apostolorum Symbolum, aliaque multa crediderint, lethali noxa sese maculabunt.
- 11 Adultus , simulatque ratio illucescit , et credenda, credendique motiva sunt ipsi sufficienter proposita , fidei actum elicere tenetur.
- 12 Fidei adsentiri debet homo rationis compos, quando sine illius praesidio aliis , quae urgent , praeceptis satisfacere non potest.
- 13 Eos exagitamus , qui ad supernaturalis fidei assensum piam voluntatis motionem necessariam minime ducunt.
- 14 Quisquis ritibus , cibis , aliisve actibus , qui sectam , a secta discernunt , veram Religionem celat , falsamque simulat , peccatorum laqueis irretitur.
- 15 Episcopi , Christiani , quando fidelium , fideique causa aliud non suadet , persecuti impune latitant.
- 16 Supernaturalis fides in Angelis post creationem , et in Protoparentibus nostris ante peccatum fixam habuit sedem.
- 17 Doemones , damnatique homines tam fidem retinent , quam cribrum aquam.
- 18 Beati Deo , fruentes carent fide , quae in solutis corpore animabus , dum adhuc piantur , persistit.
- 19 Cespitasse nobis visi sunt , qui sive actualem , sive habituales fidem in Haeretico vel unum eius articulum negante locum habere pronuntiarunt.
- 20 Qui misera Gentilitatis nocte adhuc volutantur , ad eam relegandam

dam non sunt cogendi ; licet , ne fidei obsistant propagationi , compellantur.

21 Qui vero aliquando Christianam fidem sunt amplexati , ut impleant , quod promisserunt , et quod susceperunt , servent , adigi possunt.

22 Illis acquiescimus , quibus Haeresim sic definire placet : *Error pertinax fidei manifeste contrarius in eo , qui fidem Christi in veritate professus est.*

23 Avitae Religionis censendus est hostis , qui positivo dubio circa articulum ab Ecclesia sufficienter propositum deliberate dubitat.

24 Haereticis statutae sunt poenae spirituales aliae , alterae corporales. Materialis tantum Haereticus , mere internus , aut externus solum spiritualibus haudquaquam subiicitur.

25 Excommunicationem soli Papae reservatam incurrit internus haereticus , qui exterius distincte , et assertive suum virus revelat , etsi nullus videat , audiatve.

26 Iurisdictionem etiamnum retinent , validamque absolutionem impendunt publici haeretici , quos Ecclesia nondum nominatim declaravit , nec ipsi ab ea voluntarie abierunt.

27 Solus Romanus Pontifex absolvere potest ab excommunicatione eos , qui haereticorum libros haeresim continentes , aut de Religione tractantes sine Apostolicae Sedis auctoritate legunt , aut retinent.

28 Apostata a fide est , qui totam fidem deserit : a Religione ; qui approbatam , quam tacite , vel exprese professus est , non obtenta Superiorum venia cum animo non redeundi relinquit.

29 Definitur Blasphemia : *Cordis , vel oris locutio , qua per modum contumeliae dicitur aliquid derogans excellentiae Divinae bonitatis.*

30 Opinionem , quae ob materiae levitatem blasphemiam veniale peccatum nonnumquam esse arbitratur , veritatis supervacuum iudicatur.

31 In tuto ponimus spei definitionem communiter traditam , quae sic se habet : *Virtus divinitus infusa , per quam certa cum fiducia aeternae vitae bona Divino auxilio obtinenda expectamus.*

32 Nihil nos movet , ut a sententia spem virtutem esse Theologicam a fide , et charitate distinctam adserente resiliamus.

33 His merito accedimus , qui charitate in homine deficiente , illius spem elumbem , atque dilutam esse pronuntiant.

34 Formale spei obiectum omnipotentia auxiliatrix : materiale vero Deus ut a nobis possidendus , ac omnia , quae ad illo fruendum manu veluti nos ducunt.

35 Iustorum animae , quae in Purgatorio peccatis debita luunt , et quae ante Christum in Abrahae sinu recludebantur , spem habuere supernaturalem.

36 Vix reperire est , qui non ultro consentiant Damnatos , et perpetuo Beatos ne spei quidem vestigium retinere.

37 Opposita spei Desperatio ita definiri potest : *Est voluntas efficax abticiendi salutem aeternam ex Divina misericordia consequendam.*

38 Integram fidem mihi faciunt , qui eam , dum est deliberata , peccatum censent gravissimum.

39 Lethali noxa , qui praesumit , maculatur ; etsi adhuc speret , nec infidelis evasserit.

CHARITAS.

ECCLESIAE DOGMATA.

1 Irridendi sunt potius, quam argumentorum copia labefactandi contententes Charitatem nobilissimum non esse Dei donum in anima productum, sed ipsum Spiritum Sanctum.

2 Quocumque iustus charitatis gradu in hac vita exornetur, maiorem tamen ipsum acquirere posse docet Aquinas: et ab illius systemate deflectemur? facilius per foramen acus Camelus.

3 Charitatem habitualement amitti non posse Novatores nobis suadere conantur; verum alios sibi effingant, quaerantque homunculos, quibus haec valeant venditare; illam enim quovis lethali peccato deperdi explorata res est, et inconcussa.

4 Homines aeternae retributionis causa Conditorem diligere, eiusque mandatis obsecundare posse non desunt, qui negent: verum somnia, deliria.

5 Perfracto sceptro nittuntur inconsulto oppugnantes inimicos diligendos esse vi praecepti charitatis.

6 Apud nos ratum, fixumque est, et extra dubitationis aleam constitutum Deum actu interno esse diligendum.

7 Saepissime in vita adstringimur praecepto Deum amore prosequendi, quandoque per se, aliquando per accidens; adversariorum figmentum veritati non respondet.

8 Nulli haud notum est, atque ratione conficitur proximos, quo nomine rationales creaturae veniunt intelligendae, amore charitatis esse diligendos.

SCHOLAE POSITIONES.

1 Divinitus infusa virtus, qua Deus propter se, et proximus propter Deum amatur, quaeque hos inter, et illum veram, suavemque parit amicitiam, charitas est.

2 In Divina bonitate prout in se, et propter se amari, supernoque lumine cognosci potest, formale, ut aiunt, quo charitatis obiectum constitui volumus.

3 Formale autem quod in summa Dei bonitate omnes eius perfectiones pervagante repositum est.

4 Charitas specie atoma Deum propter se, et proximum propter Deum amore prosequitur.

5 Errasse putandi sunt, qui charitati virtutem aliquam sive in esse moris, sive in esse physico praeponunt.

6 Retegimus, et irridemus eorum sententiam, qui alicui charitatis actui, vel remisso, sive elicito, sive imperato novum de condigno meritum, novumque ius ad gratiae, charitatis, et gloriae augmentum pernegant.

7 In orbis luce adserere fas est charitatis habitum indirecte posse diminui, etiamsi directe non minuatur.

8 Hominem ad seipsum, propriumque corpus diligendum teneri, iudicata res est.

9 Debet pariter homo et Angelos , et peccatores secundum naturam, non secundum culpam caros habere.

10 Inimicos amore prosequi , communia charitatis signa , et opera eis exhibere iubemur.

11 In antiqua lege veri Dei cultores ad praeceptum istud servandum constringebantur.

12 In Dei amore super omnia , et prae omnibus *obiective* , et *appretiative* exardescere eligendum ; ac proinde tum proximo , tum nobismetipsis praeferendus est ille.

13 Si quis intensiori amore sive naturali , sive supernaturali proximum , quam Deum fuerit prosequutus , supremi Numinis iram sibi haud concitavit.

14 Homo debet seipsum proprio corpori ex charitate preferre , quin istud unquam proximo praeponatur.

15 Sui amore prae proximo flagrari debet homo viator sine charitatis praeiudicio.

16 Fundenda nobis vita est , dum illius dispendio aeternae proximi gravissime periclitantis possumus subvenire.

17 Cum proximus gravi necessitate afficitur , hi dumtaxat tenentur , qui animarum saluti stricto iure invigilant.

18 Inculpatim diligere possumus nobis secundum carnem propinquiores , prae melioribus extraneis , quando caetera sunt paria.

19 Nec multis egemus adstipulatoribus , ut amici dilectionem absolute , et secundum se inimici dilectioni praeponendam esse pronuntiemus.

20 Suis mendaciis nos pascent nusquam , qui hominem actiones suas aliquoties in Deum ultimum finem sive naturalem , sive supernaturalem , eo , quo ipsum cognoscit , modo referre non teneri fabulantur.

21 Homo deliberate operans , suumque opus vitio , ac pravitate carebunt , etiamsi toties , quoties operatur , opus suum in Deum propter se dilectum relatione virtuali explicita non referat : sufficit ergo implicita.

DEUS HOMO FACTUS.

ECCLESIAE DOGMATA.

1 **T**Abuntur errore spisso admodum , ac liberales naeniarum venditores sese produnt Iudaei , dum promissi Patribus suis Liberatoris adventum praestolantur : igitur velint , nolint miseri recutiti , vicit Leo de Tribu Iuda , desiderium collium aeternorum iam pridem advenit.

2 Christum Iesum Deum simul , ac hominem futurum adeo dilucide praenuntiarunt Sacri Vates , ut stipites , et plumbeos esse oporteat , qui hoc vel leviter inficiantur.

3 Nestoriani duas in Christo Personas divinam , et humanam adstruentes in sui erroris patrocinium Sacras Scripturas adducere non erubuerunt ; sed vel illas non salutarunt , vel inter illas oscitare : vides hinc unam tantum in Christo Personam divinam reperiri.

4 Putida cavillatio est a Nestorianis Marianae Maternitatis osoribus misere corrassa Beatam Virginem Mariam Deiparam non esse appellandam.

5 Eutyches Nestorianam haeresim oppugnare intendens unam tantum naturam in Christo dogmatizavit ; quod ut imprudenti zelo confictum , ita , quod refellatur , indignum.

Gnos-

6 Gnostici bellum Christi humanitati inferentes aëreum, et umbratile corpus ipsi tribuerunt; et ast quaenam fides procacibus impostoribus somnia sua sine vade, sine teste liberaliter venditantibus? Nulla profecto.

7 Verbum humanum corpus sumpsisse in utero Virginis efformatum ille inficias ibit, qui nec sacra Prophetarum oracula vel obiter lactitarit.

8 Stultitiae, ac horrendi flagitii Apolinaristas vel lactentes pueri redarguent, rationalem animam Christum non sumpsisse buccinantes.

9 Rationalis quoque animae facultatibus intellectu scilicet, et voluntate Dei filius fuit exornatus. Mirum sane quantum in hanc rem haeretici debacchati fuerint!

10 Delirant profecto illi, qui Christum aliqua sive originali, sive actuali commaculati labe vel levissime suspicantur.

11 Foenum in cornu habet A catholicorum aberratio obtrudentium admittendam non esse in Christo Idiomatum communicationem.

12 Censuerunt Monothelitae unam dumtaxat voluntatem divinam in Christo Domino reperiri. Maiorem audistin vecordiam? Dementiorem vidistin?

13 Adeo stipitem fore putamus pernegantem duplicem in eo operationem reperiri, ut non plus, quam exanime corpus sapere fidenter pronuntiemus.

14 Ab illis tamen fastidiose stomachamur, qui duas illas voluntates volunt sibi invicem contrariari.

15 Lutherus, eiusque sectarii, quo nescio flante Aquilone, liberum arbitrium et a vi cogente, et ab impellente necessitate Christo eripuerunt; verum apage vana hominum inaniter garrientium commenta.

16 Ergo iuxta effraenis, depravataeque voluntatis libitum ab iisdem nebulonibus confingitur piissimum Iesum operibus suis nobis vere, et proprie non meruisse.

17 Eo fine Christus Iesus cruci suffixus est, ac saevissimam mortem pertulit, ut nos a peccato, Doemonisque captivitate liberaret: facilius erit Aethiopem dealbare, quam nos ab hoc catholico dogmate propugnando divellere.

18 Humani generis liberationem non una Domini praedicatione, et exemplo, sed oblato pretio peractam fuisse adeo perspicue in Scripturis relatum legitur, ut ineptire prorsus visi sunt, qui id inficiantur.

19 Facessant penitus Erellius, et Wolchellius stulte, inaniterque fingentes Christum non esse Sacerdotem, et hostiam simul pro delictis hominum oblatam: Ergo evellenda illis ex animo funesta illa, infaustaque praeiudicia.

20 Christus Dominus patriae cultu est adorandus: adversariorum perfidiam felici exitu, Scriptura duce, frangere facillimum reputamus.

21 Theologi Catholici magna argumentorum copia perspicuum faciunt humanitatem Christi, eiusque divinitatem una, eademque adoratione esse colendas; quod et nos divina fide edocti incunctanter adserimus.

SCHOLAE POSITIONES.

I Admirabile Incarnationis opus contradictionem involvere perduelles finxerunt Idololatrae; sed impudentissima audacia.

Mys-

2. Mysteriorum huius existentiam humano tantum ratiocinio utens homo aliis demonstrare non potest ; imo , nec illud cognoscere.
3. Divinum Verbum humanam carnem adsumens non solum hominum genus , sed totum etiam , qua late patet , universum decoravit ; nec sua Divinis attributis defuit convenientia.
4. Verbum carnem fieri in temporis plenitudine , non in exordio , aut in fine dierum congruentissimum fuit.
5. Parvi nobis momenti fundamento nititur eorum sententia , qui hoc-cine Mysterium pro humani generis reparatione absolute necessarium iudicant : illius secundum quid necessitatem non diffitebimur.
6. Homo , qui condignam divinae iustitiae pro mortali peccato exhiberet satisfactionem , incassum quaereretur : ad id ergo opus , Verbum humana indui natura.
7. Cui mortalium pro veniali peccato satis Deo facere concessum ? Iusto profecto , iusto.
8. Adamo non peccante Verbum Divinum carnem vi praesentis Decreti assumpturum pernegantes , magno rationum pondere premere Scotistae contendunt ? Nae illorum conatus irritus.
9. Non solum Adami peccatum , et nostrum originale , sed et actualia adventus sui causam , etsi minus praecipuam ingrediuntur.
10. Christum Dominum personam esse ex duabus naturis Divina scilicet , et humana ad invicem unitis compositam citra dubitationis aleam constitutum.
11. Displicet eorum opinio , qui admirabile Divinae naturae cum humana commercium a Christo sive de condigno , sive de congruo mereri posse arbitrantur.
12. Exosi mihi semper erunt , qui in Veteris Testamenti iustis , aut in B. V. Maria meritum eximio Incarnationis operi correspondens adinvennerunt.
13. Antiquae legis iustos , et B. V. M. Mysterium huius altitudinem aliquo saltim modo promeruisse ultro concedimus.
14. Inaniter creaturarum aliqua , quae tanti operis causa efficiens principalis fuerit , aut potuerit esse investigatur : soli Deo erat reservatum.
15. Coniunctionem Verbi Divini cum natura humana B. V. Maria adhuc ut causa instrumentalis non est operata.
16. A persona creata alienam naturam posse terminari non desunt , qui sentiant ; verum eos fefellit opinio , siquidem id Divinae peculiare est.
17. Humana natura in Christo formaliter , ut aiunt , et proxime non per subsistentiam absolutam , sed per relativam terminatur.
18. Praeter secundam aliae Divinae Personae humanae naturae hypostatice uniri potuerunt.
19. Una Divina Persona plures humanas naturas hypostatica unione sibi valet copulare.
20. Nihil nos cogit , ut tamquam indecens , aut impossibile traducamus quamlibet naturam completam a Verbo Divino posse terminari ; decentius licet istud rationalem sibi copularit.
21. A nostris finibus eliminamus Durandi sententiam , qui naturalem sanguinem a Verbo hypostatice fuisse adsumptum pernegavit.
22. Dimittendos putamus eos , qui corporis inter , animae , et humanitatis adsumptionem nonnihil temporis fluxisse adseverant.

23 Unionis gratia , ut aiunt , substantialis ; si quae alia , beatissimam Christi animam Deo gratam , perfecteque sanctam reddidit.

24 Christi Anima per Divinitatem , quam secum adducit eius Persona , formaliter sanctificatur.

25 Gratis adseritur Christum habituali gratia orbatum fuisse.

26 Eam nobis faciendam ducimus sententiam , quae Christo omnes virtutes supernaturales , sive Theologicas , sive morales per se infusas , demptis fide , Spe , et Poenitentia , adscribit.

27 Virtutes naturales morales , quae actibus per se acquiruntur , in Christo extitisse , non est , cur inficiemur.

28 Spiritus Sancti Donis omnibus Christi animam refulgentem cernimus.

29 Gratiae gratis datae , deficiente nulla , beatissimam Christi animam cumulatim exornarunt.

30 Fidenter pronuntiamus animam Christi omni gratiae plenitudine fuisse repletam : quin tamen eam physice consideratam infinitam iudicemus.

31 Omnes fateamur oportet Christum Dominum capitis Ecclesiae dignitate fuisse ornatum.

32 Sub capite Christo fideles omnes lethali licet culpa coinquinati aliquo saltim modo actu concluduntur.

33 Protoparentes nostri felicissimo innocentiae statu perfruentes Christum tamquam illius caput non agnoverunt.

34 Angelorum caput esse Christum etsi minus perfecte , quam hominum apertissime profiteamur , accidentales tantum eis gratias infundentem.

35 Eorum sententiam vindicabimus , qui capitis dignitatem ab habituali , ut comotante unionis gratiam in Christum profluxisse , tuentur.

36 Christo cum hominibus familiariter agenti Beatorum scientia , qua facie ad faciem Divinitatem intuitus est , tribui debet.

37 Actutum in Utero Virginis Matris extitit Filii anima , huic Beatorum scientia minime defuit.

38 Perfectiorem animae Christi prae omnibus creaturis Divinitatis cognitionem concedimus , quin tamen eam comprehendat , aut possit comprehendere.

39 Animae Christi per scientiam beatam praeterita omnia , praesentia , et futura , demptis possibilibus , in Verbo fuerunt reserata.

40 Infusa scientia , cui naturalia , et supernaturalia patefacta sint , Beatorum scientiae amicabile foedere fuit copulata.

41 Christus praeter beatam , et infusam scientiam experimentali fuit instructus , quam propriis actibus sibi comparavit.

42 Etsi Christi anima in hac scientia prodesset , neque Angelos , neque homines sibi Magistros ascivit.

43 Humanitas Christi nec habuit , nec habere potuit omnipotentiam , nisi velis , quod absit , eam Divinitatis iura sibi usurpasse.

44 Ab eis scindimur , qui rationem physicae instrumentalis causae gratiae , et miraculorum Christi humanitati a primo conceptionis instanti fuisse concessam pernegarunt.

45 Quidquid Christus Dominus voluit voluntate absoluta , et efficaci per alium fieri , absdubio per hunc fuit executioni mandatum.

46 Christum subiacer defectibus conveniens fuit : non tamen omnes , sed qui ex communi totius naturae peccato sequuntur , nec fini Incarnationis repugnant , adsumpsit.

47 Vi praecise gratiae unionis peccare absolute non potuit Christus, sive peccato cum illa coniuncto, sive illam destruyente: vires exerant adversarii.

48 Servator noster concupiscentiam, seu peccati fomitem sive in *actu primo*, sive in *actu secundo* non fuit penitus expertus.

49 Sensibili dolore, tristitia, ira, et timore nonnumquam affectus est Christus.

50 Haec propositio *Christus est creatura*, quae Arianis favere videtur, a scriptis nostris procul abesse volumus.

51 Christus *unus*, et *unum*, non *duo* a nobis appellandus est: hoc ita esse, volenti comulatus demonstrabimus.

52 Prae altera nobis placuit sententia, quae unicam Verbi Divini Christo adstruit existentiam.

53 Non mortem solum, sed et omnes illius circumstantias Aeterni Patris Filius praecepto alligatus toleravit, sustinuit.

54 Christum hoc stante praecepto, summaque eius impeccabilitate, libertatis iura sarta, tecta servasse nostra interest quammaxime propugnare.

55 Salvatori Iesu Christo iniurius esse videtur, qui eum a primo animationis suae instanti usque ad vitae finem omnibus liberis humanae voluntatis actibus promeruisse diffitetur.

56 Christum gloriam sui corporis, nominis exaltationem, aliaque ad excellentiam eius exteriorem conducentia non meruisse, res plane foeda dictu est, foedaque auditu.

57 Firmiter sustinemus, nec habitualement Christi gratiam, nec gloriam essentialem sub illius meritis cecidisse.

58 Subirascimur iis, qui hominibus attribuunt aliquam gratiam, quae iustificationem aut praecedat, aut comitetur, aut subsequatur, si Christi meritum illa subterfugiat.

59 Omnibus obvium est, ac sponte sua fuit Angelis gratias solummodo accidentales promeruisse.

60 Actiones Christi liberarum infiniti fuisse valoris externo Dei acceptantis favore, non autem intrinseca dignitate non desunt, qui existiment: Nos vero e regione stantes eos exagitabimus.

61 Servatoris nostri satisfactio non modo sufficiens fuit, sed etiam superabundans.

62 Ex toto rigore iustitiae, seu ad iuris apices ipsum satisfacisse nobis compertum, etsi conditiones ad hoc requisitae penitus introspectantur.

63 Christum ut hominem non esse Dei servum servitute illa, quam naturalem vocamus, nonnullis visum est, sed irrecte.

64 Quaelibet Christi oratio absoluta a voluntate deliberata proveniens fuit exaudita; quod ad miraculum usque demonstravit Vir summus immortalis Aquinas.

65 Congruentiora verba et Scripturae, et Patribus loqui videntur, quicumque sibi exploratum volunt aeternum Verbum, etiam inspecta carnis natura, Filium Dei adoptivum non esse appellandum.

66 Christus ut homo ad filiationem Dei naturalem fuit praedestinitus.

67 Extra Theologorum orbitam excurret absdubio, qui non teneat praedestinationem Christi causam esse exemplarem, finalem, et meritoriam nostrae praedestinationis.

68 Sartum , tectumque est , quod et nos firmiter sustinebimus , humanitatem Christi , si per intellectum a Verbo praecisam consideres , inferiori quodam cultu ob creatas perfectiones posse venerari.

69 Quantacumque Dei-genitricis sit excellentia latriae tamen cultu adorari non debet.

SACRAMENTA IN UNIVERSUM.

ECCLESIAE DOGMATA.

1 **N**ovatorum Phalanges modo unum , nunc duo , aliquando tria , nonnumquam quatuor , vel sex admittunt Sacramenta. § Cui fidem ? Unice Catholicis septem , nec plura , nec pauciora fatentibus , illa scilicet quorum cum lacte suximus nomina.

2 Singula Sacramenta suam dignitatem habent , ob quam secundum aliquam rationem possint caeteris aequiparari. § Ergone ita inter se paria sunt , ut nulla ratione unum sit alio dignius ? Iure , meritoque invehimus in Haereticos autumantes ita.

3 A Iesu Christo omnia instituta esse , ex Tridentino evidentissime constat.

4 Sacramenta rebus tanquam *materia* , et verbis tanquam *forma* perficiuntur.

5 Abeant igitur in malam crucem Haereticorum loquacissimi in Sacramentorum collatione praemittendam concionem , quae pars eorum sit essentialis , contendentes.

6 Verba illa , quae formam Sacramentorum efficiunt , non sunt promissionis , aut concionis dumtaxat , sed consecrationis etiam ; fremant licet Lutherus , et Calvinus.

7 Sacramenta Novae Legis merito passionis Christi ex opere operato producant gratiam , qua haereditatis aeternae pignus nobis datur , et arrha.

8 Contra scelestissimos perditissimosque homines arma convertimus Wicleffum scilicet , Lutherum , ac Calvinum , qui in explodendo *Character* nervos omnes intendunt , sed incassum ; veritas quippe Catholica asserit tria tantum Sacramenta , quae iterari minime valent , Baptismum nimirum , Confirmationem , et Ordinem Characterem imprimere.


9 Character ille ita animae fixus haeret , ut amitti non valeat.

10 Christianos omnes in omnibus Sacramentis administrandis potestatem non habere , sapientissime declaravit Tridentina Synodus , quamquam id aegre ferat Haeresiarcha Lutherus.

11 Irritum Sacramentum non fas est iudicare , etiamsi ab haeretico , improboque Ministro conferatur , modo nihil eorum desit , quae ad illius constitutionem sunt necessaria , id est , aut materia , aut forma , aut intentio faciendi , quod facit Ecclesia.

12 Ad Ministri intentionem quod attinet , Novatorum reiicimus placitum adserentium , ratum esse Sacramentum non obstanti ludificatione , aut irrisione quacumque.

SCHOLAE POSITIONES.

- 1  Aeteticorum quidam *Sacramenti* nomen procul eliminare tentarunt symboli vocabulo substituto : illud in Ecclesia retinendum evincam plenissime.
- 2 Licet *Sacramenti* vocabulum ad plura significanda usurpetur , nos pro signo rei sacrae sanctificantis homines accipimus.
- 3 Recte igitur adseritur , *Sacramentum* esse : Signum ad placitum, practicum , sacrum , permanens , et stabile.
- 4 Nēdum imperfectae seu legalis sanctitatis signum est *Sacramentum*, sed et perfectae per gratiam habitualem , et quidem in ipso *Sacramenti* usu conferendae.
- 5 Ratio *Sacramenti* , ut est homini proprium , atque accommodatum, necessario exigit , ut instituat in rebus sensibilibus.
- 6 In *Sacramentis* saltem *Novae Legis* verba rebus convenienter adiunguntur.
- 7 A catholicorum nonnulli lotionem pedum inter *Sacramenta* recensent ; at eam proprie dictum *Sacramentum* non esse , tenent Catholici omnes.
- 8 Etiam si a *Tridentina Synodo* tanquam fidei dogma definitum non sit, *Sacramenta* omnia esse a *Christo* immediate instituta ; nihilominus audax nimium esset , hanc communem sententiam impugnare.
- 9 Quamvis respective ad *Sacramenta* hae voces *materia* , et *forma* in usu non fuerint , nisi circa annum 1215 usurpatae primum a *Guillelmo Antisiodorensi* ; tamen ut partes essentiales , et intrinsecae *Sacramentorum* habendae sunt.
- 10 Non desunt , qui penes *Ecclesiam* esse censent *materiam* , et *formam Sacramentorum* immutare ; sed irrecte.
- 11 *Sacramentorum* *materiam* , ipsam quoque *formam* certis verbis , et syllabis *Christus Dominus* determinavit.
- 12 Nefario *Sacrilegii* crimine maculantur , qui vel ex gravi negligentia, vel ex ignorantia culpabili , vel ex contemptu ita *formam* inmutant , ut *Sacramentum* cassum , irritumque reddatur.
- 13 Sese execrando crimine innectunt , qui in *Sacramentis* conficiendis, (extrema non urgente necessitate) utuntur *materia* , *formave* tantum probabili , certa , vel tutiore , quae adest , relictā.
- 14 *Forma* conditionali , quae primis *Ecclesiae* saeculis inaudita , vertere saeculo VIII apud *Latinos* adhiberi coepit , uti fas est , quando consulte *Sacramentum* in coniectura positum invenitur.
- 15 Qui absque haesitatione validis innixa momentis , *Sacramentum*, aut *formam* super eandem *materiam* temere repetit , *sacrilegus* profecto est, et *Auctori Sacramentorum* iniurius.
- 16 In eo felicitatis statu , innocentiae nempe , qui ad brevissimum tempus duravit , locum non habuere *Sacramenta*.
- 17 In lege naturae , et pro parvulis aliquod *Sacramentum* , et pro adultis quaedam esse instituta affirmamus : quatenus vero fuerint , cum *Augustino* incertum penitus pronunciamus.
- 18 Debuerunt esse post *Christum* *Sacramenta* , quae a veteribus discernuntur.
- 19 Utroque pollice subscribimus *Ang. Praecept. Sacramentis novae*
Le-

Legis, nedum moralem, sed et causalitatem physicam instrumentalem tribuenti.

20 Sacramenta, quae mortuorum dicuntur, per se causant primam gratiam: Sacramenta vero vivorum per se causant secundam.

21 Non repugnat utrorumque vices mutari, ita ut vivorum primam, mortuorum secundam quandoque conferant gratiam.

22 Sacramenta, quae specie distinguuntur, praecisa subiecti dispositione, inaequalem ex se gratiam producant; quae autem solo numero, aequalem.

23 Habita subiecti dispositione idem specie Sacramentum aequae dispositis gratiam confert aequalem; imparem vero his, qui inaequali instructi sunt dispositione.

24 Veteribus Sacramentis collatam non fuisse vim ex opere operato active iustificandi probabiliter admodum sustinemus.

25 Sed quid de Circumcisionis efficacia asserendum est? gratiam ex opere operato passive parvulis conferebat dumtaxat.

26 Extraordinaria licet potestate Sacramenta Angeli, Beatique in caelo regnantes conficere possint, Ordinarius tamen Sacramentorum Minister solus est homo viator.

27 Etsi Sacramenta ab impuris, scelestissimisque coinquinari non valeant, neque eorum effectus impediri; aeternae tamen mortis reatum incurrunt, qui impure, indigneque ex officio ministrant.

28 Proximo periculo mortis urgente licitum est petere, et recipere quaedam saltem Sacramenta ab haeretico, excommunicatoque Ministro non tolerato, si alius non adest.

29 Fas est tamen citra casum necessitatis a quolibet malo Ministro tolerato Sacramenta recipere, etiamsi illi iure non incumbat regimen animarum, si bonus absit, qui possit, velitque conferre.

30 Irritum, nullumque est Sacramentum si Minister occulta mente gerat intentionem Ecclesiae contrariam, et intendat animo irrisorie Sacramentum conficere, etiamsi exterius serio, omnique semoto ioco se gerat. Ergone interna requiritur intentio, exteriorque non sufficit? Ita tradit Ang. Praecept. cui libenter subscribo.

31 Ad valorem Sacramenti necessarium non est, quod Minister credat per id, quod exterius agitur, produci interiorum effectum, vel in votis habeat illud peragere, quod fit in Ecclesia Romana, sed sufficit intentio faciendi quod facit Ecclesia.

32 Actuale intentionem plurimum commendamus; virtuale sufficere adserimus; habituale ut communiter solet accipi insufficientem esse tenemus: de interpretativa idem habeto iudicium.

33 Solus homo viator ordinarius est Sacramentorum subiectum; Angelis quippe signa sensibilia applicari non possunt, nec patitur Beatorum status, ut in eis augeatur gratia, aut aliqua damnatis conferatur.

34 Nobis persuasum est irritum, cassumque reddi Sacramenti valorem, si fruens rationis usu nullam habeat intentionem illud, ceu rem in Ecclesia sacram suscipiendi: a fortiori etiam si reluctetur. Cave tamen, quin idem censeas de Eucharistia.

35 Occulto peccatori publice Sacramenta petenti, denegari minime valent; secus tamen si occulte petat.

36 Peccatoribus vero publicis, et private, et palam Sacramenta poscentibus haud possunt conferri, si Poenitentiam demas, et quandoque Matrimonium.

M

Ad

37 Ad Ecclesiam pertinet ritus caeremoniasque instituere , quae pietatem alere possint , et Sacramenti reverentiam conciliare.

38 Sacramentorum caeremoniae institutae non fuere fortuito , aut ob solam cultus divini decentiam , vel in commodum tantummodo ministrantium , et adstantium , sed propter mysticam , quam continent significationem.

39 Semoto etiam scandalo , et contemptu , Ministri Sacramenta solemniter conficientes , aut ministrantes praescriptos ab Ecclesia ritus adhibere tenentur.

40 Sacramentalibus vim denegamus dimittendi peccata venialia ex opere operato.

SACRUM BAPTISMA.

ECCLESIAE DOGMATA.

1 Sacramentum nullum est , quod amplioribus divinorum beneficiorum symbolis fuerit cumulatum ; ipso enim principio temporum Spiritus Dei in aurigae modum ferebatur super aquas , et nascentem Mundum in figura baptismatis parturiebat , inquit scribens ad Oceanum Hieronymus. Nihilo tamen minus atisi sunt vacuo cerebello Socinus , et Ostorodius comminisci baptismum aquae nudam esse caeremoniam ab Evangelica doctrina indistinctam. At non ita profecto cucurbitae sumus , ut haec nobis venditari patiamur.

2 Monstra dixeris non homines nebulones quamplurimos aquam in baptisate reiicientes : omnis enim , et sola aqua naturalis est materia baptismi.

3 Quocumque ritu conferatur baptismus , sive immersione , sive infusione , sive aspersione validus est ; iure tamen meritoque eum Ecclesia Romana praescribit , qui primo , secundoque modo confertur. Blaterantes ergo Marcum Ephesinum , Graeculosque alios nihili pendo.

4 Ea , qua utuntur Latini Baptismi forma : *Ego te baptizo in nomine P. et F. et SP. S.* legitima est , nec ab ullo valet in reprehensionem adduci.

5 Forma a Graecis adhiberi solita : *Baptizetur , vel baptizatur servus Dei &c.* valida etiam est , nec a nostra substantialiter discrepat.

6 Non valet baptismus sub hac forma collatus : *in nomine P. et F. et SP. S.* praetermissis istis : *Ego te baptizo.*

7 Nec licite , nec valide baptismus validus iteratur. En hic Marcionistarum , ac nostri temporis Anabaptistarum iure consepultum errorem.

8 *Multis abhinc saeculis , adeoque ab ipso fere Ecclesiae exordio usu receptum esse , ut in periculo mortis laici baptizent , adserit Calvinus ; sed denegat continuo , id posse ratione ulla defendi.* Sed , consceleratissime debacchator , clamites licet usque ad ravim , scias tamen hominem quemque , Haereticum , Iudaeum , Ethnicum , etiam et foeminam valide semper baptizare , in necessitatis casu licite ; idque Catholica tenet Religio , cuius te vindicem asseris.

9 Res in propatulo est , in Orbis luce neminem absque baptismatis unda aeternam promissionem adipisci posse. Et debellatos iam cernere licet Heterodoxos illius necessitatem pernegantes.

10 Quando necessitas impedit actualem baptismi receptionem , ipsiusmet vices supplere potest flaminis baptismus , seu sincera cordis contritio , a voto baptismi aquae non semota.

Mar-

11 Martyrium quoque obtinere vim baptismatis, et ab omni culpa purgare, non tantum in adultis, verum etiam in his, qui solo originali peccato, non propriae voluntatis irretiti sunt culpa, arbitror manifestum. Ecce ergo profligatum dementem Valentinum, dementiam pro Deo mori reputantem.

12 Indelebili Christianorum militum nota per salutiferum baptismi lavacrum non insigniri, qui ore proprio non possunt fidem profiteri, et Evangelicae legis observationem promittere, putat Anabaptistarum colluvies; sed habent profecto fungum pro cerebro; nedum enim convenit, sed expedit, necessum est parvulos baptizari.

13 Inter effectus baptismi principem locum obtinet gratia sanctificans, delens vere, ac proprie quamcumque peccati maculam, natura, actuque contractam.

14 Consequitur gratiam hanc cuiusque poenae apud Deum luendae remissio. Hinc adultum recens baptizatum, si continuo ex hac vita discesserit, ad Patriam protinus advolare credimus, nulla in Purgatorio soluta poena. Miseras tamen huius vitae post Baptismum manere infelici docemur experientia.

15 Effectum alium praestantissimum producit in nobis sacrum regenerationis lavacrum, Characterem nempe permanentem animae inhaerentem.

SCHOLAE POSITIONES.

1 **B**aptismi Sacramentum, quo renascimur, abluimur, divinique Spiritus participatione donamur, aptissime hisce verbis definit Ang. Prae. *Ablutio corporis sub praescripta verborum forma.*

2 Sacramentum hoc a Christo Domino fuit institutum ante suam passionem, et quidem dum baptizatus fuit in Iordane.

3 Praeceptum suscipiendi baptismum neminem ante Christi passionem, et resurrectionem obstrinxit, at ea peracta, statim.

4 Collatum sine trina infusione, immersione, vel aspersione Baptisma irritum haud reputamus; duntaxat ergo talis immersio, infusio, vel aspersione requiritur, quatenus est ab Ecclesia praescripta.

5 Validum esse baptismum invocato Christi solius nomine dicitur Caletanus, sed toto ostio a veritate recedit; nullum ergo est baptisma absque expressione SS. Trinitatis datum.

6 Sed quid de Apostolicis temporibus adserendum est? Baptizaruntne Discipuli solius Christi nomine invocato? res difficilis, ambiguaque videtur; ego vero utriusque sententiae fundamenta proponam, quamque volueris propugnabo.

7 Si dubium rationabile aliquod irreperit de valore baptismi, fas est ipsum adhibita conditione iterare; inani dubio agitatus, nefas.

8 Baptizandi solemnibus ritibus ordinaria potestas, omnibus, solisque Presbyteris convenit vi suae ordinationis, Diaconis vero non nisi extraordinaria, et ex delegatione Episcopi, aut Presbyteri.

9 Baptisma Matris puero, quem in utero gestat, non prodest, ut, a quo iste innodatus est, solvatur originali reatu.

10 Eum salutaris unda nequit abluere, cuius aut corpus integrum, seu pars illius aliqua extra uterum non prodierit, etiamsi inchoato puerperio, et aperto uteri ostio, manu, syringia, aliove instrumento, possit aqua lustrari.

Puer,

11 Puer, si caput emisserit, baptizetur urgente necessitate, nec iterum baptizari debet; si vero aliud membrum prodierit, baptizetur, et etiam, si supervixerit, conditionate baptizandus est, si vero obierit, in loco sacro debet sepeliri.

12 Filii Infidelium, qui aut Principibus Christianis nullo, vel politico tantum subiiciuntur modo, reluctantibus Parentibus, licite haud baptizari valent, si quosdam demas casus, de quibus interrogatus.

13 Filii Infidelium mancipiorum invitis etiam Parentibus baptizari queunt.

14 At illos quis non rideat, qui mortuos, vel pro mortuis viventes baptizabant? Rideo, et Haereticos, eorumque gerras adversus aeris campani, ut ita loquar, baptismationem.

15 Nemo debet contra universalis Ecclesiae praxim baptismum in adultam aetatem differre, quidquid hac de re prisca ferat antiquitas.

16 Caeremonias nonnullas in baptismo adhibet S. M. Ecclesia, quae immerito ab impiissimis Lutheranis, Calvinistisque carpuntur; has quaesitus libenter exponam.

CONFIRMATIONIS SACRAMENTUM.

ECCLESIAE DOGMATA.

1 **N**ON defuere inter nostrae huius aetatis heterodoxos, qui execrabili, impudentissimaque audacia protulerint Confirmationem non esse verum, et legitimum Legis Evangelicae Sacramentum. At clamitent licet, ad ravim usque; eam inter Ecclesiae Catholicae sacrosancta signacula connumerandam esse, tenebimus.

2 Velit, nolit Graecorum Schismaticorum signifer Photius, cum Ecclesia Catholica profiteatur, Confirmationis administrationem honori Episcopatus reservatam esse; atque proinde non simplices Sacerdotes, sed soli Episcopi ordinarii sunt Confirmationis ministri.

3 Cuicumque absque pravae voluntatis obice confirmato gratiae sanctificantis decorem conferri, Catholica fides docet.

4 Alius est Confirmationis effectus, character scilicet, qui indelebiter animae imprimitur.

SCHOLAE POSITIONES

1 **C**onfirmatio, quam non uno nomine veteres adpellitarunt, hac definitione circumscribitur: *Sacramentum novae Legis, quo fideles baptizati ad Christi fidem palam, et intrepide profitendam, Spiritus S. plenitudine roborantur per manuum Episcopaliū impositionem, et sacri Chrismatis unctionem.*

2 Confirmationis Sacramentum a Christo Domino fuisse institutum Catholicus non dubitat; at quandonam, et quo pacto? Res est intra disputationis aleam constituta. Reiectis igitur variis Theologorum sententiis, probabilius arbitror fuisse institutum eo temporis intervallo, quo Christus a mortuis redivivus per dies quadraginta cum Apostolis conversabatur.

3 Et manuum impositio, et Chrismatis unctio totalis, et integra Sacramenti Confirmationis materia nobis arridet.

Ad

4 Ad Chrisma conficiendum opus est primo oleo olivarum, deinde balsami admixtione, illorumque partibus adhaereo, qui hanc balsami admixtionem absolute necessariam putant ad huius Sacramenti validitatem.

5 Probabile quidem est, de necessitate Sacramenti esse, quod Chrisma sit ab Episcopo consecratum, ita ut simplex Sacerdos non possit adhuc ex dispensatione Pontificia illud valide consecrare.

6 In oratione, quae Episcopi unctionem praecedit, sita non est Confirmationis forma, sive totalis, sive partialis, ut recentiorum Theologorum tenent quamplures.

7 Verba ergo, quae Chrismatis comitantur inunctionem, scilicet *Signo te signo crucis, et confirmo te cet.* sunt apud Latinos vera, propria, et adaequata Confirmationis forma.

8 Utuntur Graeci hac forma: *Signaculum doni Spiritus Sancti cet.* valida quidem, atque legitima.

9 Potest ab Apostolica Sede confirmandi facultas etiam Presbyteris concedi Episcopali Characterem non insignitis: igitur Simplex Sacerdos esse valet extraordinarius Confirmationis Minister.

10 Ut valide possit simplex Presbyter confirmare, necessaria est in Occidentali Ecclesia Romani Pontificis delegatio: in Orientali vero perantiqua, et universa recepta consuetudo, quam idem Romanus Pontifex aut approbet, aut saltem permittat.

11 Omnes omnino homines sacro Baptismate initiati dum sint, idonei sunt ad Confirmationis recipiendum Sacramentum, infantiam licet nondum exuerint.

12 Idem est ferendum iudicium de aegrotis, soticis, energumenis, eisque amentibus, qui lucida habent intervalla.

13 Dispositiones, quas ad percipiendum Confirmationis fructum, tam ex parte corporis, quam animae exigunt Sacri Canones, referam lubenter.

14 Quamvis hoc Sacramentum non sit necessarium necessitate medii ad salutem, est tamen necessarium sive in re, sive in voto necessitate praeccepti comparate ad eos saltem, qui ineunt pro fide certamina, periculisque iactantur hanc pessundandi.

15 Redolet sacrilegii crimen, haeresisque portentum, saluberrimum hoc Sacramentum arroganter contemnere.

MYSTERIORUM MAXIMUM EUCHARISTIA.

ECCLESIAE DOGMATA.

1 **N**ihil Eucharistia a nobis excogitari valet sublimius, nihil difficilius investigari, nihil utilius aut mentis contemplatione, aut eloquio sermonis attingi; nec vero id conanti praestigiae Haereticorum hominum nimium sunt pertimescendae; siquidem adversus eos, qui nos tribulant, et lacesunt, haec mensa parata est; et ex illa, dummodo non accedamus indigni, surgimus hostibus formidabiliores. Non tamen in eo diu immorari volumus, an Eucharistia novae Legis sit Sacramentum, cum hac de re non indicant nobis certamen infensissimi Ecclesiae hostes. Sed mirum quanta de eo tradant haeresum, et impietatis portenta!

2 In hoc admirabili Sacramento post panis, et vini consecrationem Dominus noster Iesus-Christus, verus Deus, verusque homo, vere,

N

rea-

realiter, ac substantialiter sub illarum rerum sensibilibus specie continetur. Hoc totum ad oculum evincitur Scripturae auctoritate, Sacrorum Conciliorum definitionibus, Patrumque testimoniis.

3 Abeant procul Lutheri gregales, Impanatores vulgo, sive Panistae dicti, simul cum substantia Corporis Christi permanere substantiam panis effutientes, suumque, si possunt, commentum cum pane obvolvant. Nos Catholico dogmati stamus.

4 Catholici omnes, excepto nemine, tenent Eucharistiae Sacramentum in re permanenti stare, non in usu tantum, seu sumptione.

5 Christo Iesu in Eucharistia existenti patriae cultus est exhibendus: Lutherani ergo, et Calvinistae nobis pluris non sunt, quam fungus putridus.

6 Huius Sacramenti materia legitima solus est panis triticeus, cuius loco perperam aliam substitues materiam. Quam sordidissime quidam immundi homines senserint de hac materia, ni pii animi conturbarentur, referrem.

7 Vinum de vite est ineffabilis Eucharistiae materies, nec eius loco substitui potest, aqua, aut licor alius, etiamsi ad potum deserviat.

8 Sub utraque ex speciebus in hoc admirabili Sacramento totus, et integer continetur Iesus-Christus.

9 Omni dubio procul solis verbis Dominicis, non adiectis precibus, conficitur Eucharistiae Sacramentum.

10 Necessitate praecepti Ecclesiastici obstringuntur adulti ad Sacramentalem communionem, semel saltem in anno Paschali recurrente solemnitate.

11 Sacrilege in Paschate communicans divinum frangit praeceptum, nec adimplet Ecclesiasticum Communionis Paschalis.

12 Fideles laici, aut Sacerdotes non consecrantes nullo praecepto Divino sub utraque specie communicare tenentur.

13 Eorum dumtaxat, qui Sacerdotali Characterem sunt insigniti munus est Eucharistiam consecrare, nec ubi Sacerdotes desiderantur, potest laicus, aut quilibet non Sacerdos illam conficere.

14 Licet Diacono committi possit Eucharistiae dispensatio, arbitror nihilosecius Sacerdotes administrandae Eucharistiae solum ordinarios esse Ministros.

15 Fatemur cruenta Crucis immolatione Christum exhaurire posse universa peccata. Quid inde? Ergo quaelibet alia oblatio inutilis prorsus est? Ergo Missa Sacrificii rationem non obtinet? Putida haec cavillatio est misere a Lutheranis corrassa.

16 Hoc equidem Sacrificium non tantum est impetratorium, verum etiam propitiatorium, quod nebulones plurimi admittere recusant.

17 Catholica edocemur fide plurimum valere hoc Sacrificium tam viventibus quam defunctis, quibus Christi passio potest applicari.

18 Librum edidit Lutherus Doemone instigatore, ut ipsemet testatur, in quo privatas Missas reiicit. Proh Deum immortalem! recutitum hunc non pudet Diaboli vestigia praemere.

SCHOLAE POSITIONES.

1 Sacramenti huius dignitas, etsi nec possit exornari verbis, nec mente comprehendere, sequenti tamen definitione potest concludi: Sacramen-

mentum Corporis, et Sanguinis Christi ad spiritualem animae refectionem institutum.

2 Valide confici in azymo Eucharistiae Sacramentum exemplo Christi Domini constat, neque ideo Graecorum sacrificia repudiabimus umquam, quia ex fermentato pane conficiuntur.

3 Est ergo rationabilior ritus Ecclesiae Occidentalis azymum consecrantis.

4 Fermentato pane Latinis apud Graecos commorantibus fas uti non est, sicuti nec Graecis azymo, dum Latinos inter versantur: servare ergo unusquisque debet suae Ecclesiae ritum.

5 Congruit admodum, ut Eucharistiae Sacramentum in vino modica aqua naturali temperato conficiatur. Apage ergo Armenos vinum purum absque aqua consecrantes.

6 Commixtio haec non est de necessitate Sacramenti, sed praecepti tantum, non tamen Divini, sed Ecclesiastici.

7 Extra cuiusque cavillationis aleam est positum, valide unam sine altera specie posse consecrari.

8 Non licet tamen, unam speciem sine altera consecrare, nequidem Summi Pontificis dispensatione.

9 Christus Eucharistiam instituens non sola benedictione, sed his verbis: *Hoc est corpus meum; Hic est Calix, cet.* usus revera fuit.

10 Haec sola verba: *Hoc est corpus meum: et hic est Calix sanguinis mei*, aut *hic est sanguis meus*, constituunt formam essentialem consecrationis. Quamvis omne studium sit adhibendum, ne caetera praetermittantur.

11 Realis Eucharistiae sumptio neque parvulis, neque adultis necessitate medi ad salutem est necessaria.

12 Communicanti sub utraque specie non confertur amplior gratia, quam sub unica communicanti conferatur.

13 Penitus insanire dico Graecianos Schismaticos, qui hodiernam praxim parvulis Eucharistiae Sacramentum non porrigendi crimini Latinis vertunt. Ergo illis administrare non licet? Ita sane.

14 De amentibus, qui rationis compotes numquam fuere, eandem ac de parvulis habeto rationem.

15 Fas est communionem Energumenis, aliquibus in casibus elargiri.

16 Peccatoribus publicis evidentia facti, sive aliquo iudicio Ecclesiastico, aut saeculari convictis, sacra communio est deneganda; eam licet enixe petant.

17 Peccatoribus, quorum crimina occulta sunt, si publice sacram communionem petant, haud denegandam censemus.

18 Peccatores illi, qui in exitu ex hac vita tantum fuerint poenitentes Eucharistica communione privari non debent.

19 Abusum, Eucharistiam cadaverum ori ingerendi, iam dudum reprobavit Concilium Carthaginense; omnisque rationis compos eum reiiciet.

20 Extremo, et publico afficiendis supplicio denegata est aliquando Eucharistia in Gallia, et Hispania: caeterum eis exhibendam esse, quamplurimae nobis rationes ostendunt.

21 Sacram communionem accepturos, quasdam corporis, et animae dispositiones habere est opus; ex parte corporis connumerantur ieiunium, castitas, habitus. Ex parte vero animae status gratiae, fidei, spei, aliarumque virtutum exercitatio.

Per

22 Per se loquendo licitum est, imo bonum, laudeque plenum Sanctissimum Eucharistiae Sacrificium celebrare quotidie.

POENITENTIAE VIRTUS, ET SACRAMENTUM.

ECCLESIAE DOGMATA.

1 **T**errimus generis humani hostis vires effundit omnes, ut in flagitiorum gurgite volutemur, ac mortifera delectatione nobis mortem, vulnusque inferamus lethale, quibus solus, et aeternus Deus sua speciali gratia valet medicinam parare. Huius non fuit oblitus piissimus quidem Iesus, cum, quo delerentur peccata, salutare contulit remedium, Sacramentum videlicet Poenitentiae, quo lapsis post Baptismum mortis eius applicatur beneficium.

2 Sive Patrum, sive Scripturarum attendatur auctoritas, hanc, quae in Ecclesia agitur, poenitentiam, verum, et proprium novae Legis Sacramentum esse, constabit.

3 Mirum in modum errore laborant, qui Poenitentiae Sacramentum, remedium pro peccatis post baptismum commissis, a baptismo, eiusve reminiscencia censent non esse distinctum.

4 Omnia a baptizatis perpetrata crimina sive levia, sive gravissima possunt per Ecclesiae potestatem deleri. Quapropter remanet, et Montanistarum, et Novatianorum insania unico dispata flatu.

5 Incussos conscientiae terrores, quos Lutherani contritionem vocant, et fiduciam, qua nobis per Christum remissa esse peccata confidimus, tanquam materiales Sacramenti poenitentiae partes detestamur.

6 Nec mortificatio seu vitiosarum passionum refrenatio, nec studium bene vivendi, eo quo volunt Calvinistae sensu, Poenitentiae materia sunt.

7 Quamoptime poenitentiae Sacramentum dicitur praecipue institutum, cum Dominus a mortuis excitatus in suos insufflavit Apostolos, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata cet.*

8 Sacramentum istud in re, vel in voto est omnibus post baptismum lapsis necessarium necessitate medii ad salutem obtinendam.

9 Quoties ad Ecclesiae tribunal vere poenitentes accedimus, peccatorum remissionem consequimur, et aeterna liberamur damnatione: sanari itaque possumus iterum, atque iterum.

10 Extincta lethali culpa per poenitentiam, damnationis aeternae auferitur reatus, sed remanent plerumque temporales poenae luendae.

11 Attritio, seu dolor de peccatis ex solo gehennae timore conceptus, non est, qualem impius Lutherus delineavit; nam tantum abest, ut addicat peccato, quinimo vere ab eo retrahit.

12 Nobis exploratum est sacramentalem confessionem omnibus post baptismum lapsis iure divino esse praescriptam. Apage ergo eorum nugas, qui illam, tanquam ritum prorsus tyrannicum, trucemque conscientiarum carnificinam reiiciunt.

13 Minister huius Sacramenti solus Sacerdos legitimus est, cui patrata crimina sunt adperienda; neque sufficit potestas Ordinis, sed praeter eam necessaria est iurisdictionis.

SCHOLAE POSITIONES.

1 **N**ON una apud Theologos Poenitentiae vocabulo subest significatio; duobus praesertim modis accipitur, vel ut virtus, vel ut Sacramentum: priori itaque significatione spectata, nihil est aliud, quam virtus, qua commissa a nobis scelera detestamur, ac praemissa certa, firmaque deliberatione pravas consuetudines, ac corruptos mores emmendandi, eadem scelera sponte vindicamus in compensationem illatae Deo iniuriae.

2 Verae, propriaeque virtutis nomen obtinet Poenitentia, atque a caeteris distincta.

3 Haec nobis valde arridet Sacramenti poenitentiae notio: *Novae Legis Sacramentum a Christo Domino institutum, quo fidelibus post baptismum lapsis vere poenitentibus, et confessis, vi clavium, et potestatis Ecclesiae absolutio Sacerdotalis impenditur.*

4 Peccata post baptismum commissa, ut detestanda, et destruenda sunt remota Sacramenti huius materia; cordis vero contritio, peccatorum confessio, satisfactio denique, ut iniuria Deo illata compensatione aliqua reparetur, intrinsecae poenitentiae partes agnoscuntur.

5 Manus impositio non est adstruenda proxima Sacramenti Poenitentiae materies.

6 Legitima, et inviolate tenenda Sacramenti Poenitentiae forma illa est, quae in Latina Ecclesia usurpatur: *Ego te absolvo a peccatis tuis &c.*

7 Non omnia, quae in laudata forma assignantur, verba, illi sunt essentialia, sed priora solummodo, scilicet *absolvo te.*

8 Nequit per Poenitentiam peccatum unum lethale expiari, alio non remisso.

9 Peccata semel per Poenitentiam dimissa per subsequens peccatum simpliciter non reddeunt, bene vero secundum quid.

10 Bona opera hominis in amicitia Dei existentis, et per subsequens peccatum mortificata, per poenitentiam iterum reviviscunt.

11 Contritio, quae inter Sacramenti partes primum tenet locum, quam optime definitur a Tridentinis Patribus: *Animi dolor, et detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de caetero.*

12 Ista supernaturalis esse debet, ad eamque dolor, odium peccati, ac melioris vitae propositum necessario requiruntur.

13 Necessaria praeterea est contritio necessitate nedum medii, sed et praecepti tum naturalis, tum divini positivi, tum Ecclesiastici.

14 Illius ab omnibus probaretur consilium, qui peccatori statim contriti consuleret; at praeceptum contritionis obligans per se statim ac commissum est peccatum, invenies nullum.

15 Nihil impedit quominus Inferni metus, si efficax fuerit, excludat privative se solo, et voluntatem, et affectum actualem peccandi.

16 Sententia propugnans necessitatem amoris *initialis* ad gratiam in Sacramento Poenitentiae recipiendam nulla potest censura notari, quemadmodum nec opposita.

17 Eadem sententia propugnans necessitatem amoris *initialis* e diametro opponitur doctrinae haeticorum a Sacrosancto Tridentino Concilio proscriptae.

18 Concilium Tridentinum non definivit ses. 14 attritionem servilem ab *initiali* amore seiunctam, sufficienter disponere ad gratiam cum Sacramento recipiendam.

19 Sententia ad gratiam in Sacramento consequendam exigens *initialem* amorē ipsi Tridentino Concilio, Sacris litteris, Patribus, et rationi videtur esse conformis.

20 Confessio, altera Poenitentiae pars, haud irrite definitur: *Accusatio legitima peccatorum facta Sacerdoti competenti ad veniam virtute Clavium obtinendam.*

21 Iure utroque tam divino, quam Ecclesiastico ad Confessionem teneri omnes, qui post Baptismum mortali sunt conspurcati peccato, ambigi nequit: infideles vero, atque ex fidelibus ii, qui veniali dumtaxat irretiti sunt culpa, ad eam nullatenus obligantur.

22 In mortis articulo poenitentium nullus absque expetitae absolutionis beneficio dimittendus est, omnesque Sacerdotes, etiam excommunicati, degradati, et haeretici possunt eo in casu quoslibet poenitentes absolvere.

23 Absolvendus est ille, qui posteaquam Confessarium petiit, deditque poenitentiae signa, Sacerdote adveniente, loquendi facultate, atque exteriori sensu penitus sit destitutus.

24 Quid vero agas probo, frugique viro, qui nullo poenitentiae praemisso signo, mortis circumvenitur angustiis? Ipsi absolutionem conditionate impendendam censemus.

25 Circumstantias notabiliter aggravantes esse necessario confitendas non desunt qui negent, sed oppositam tutiorem, communioremque sententiam Ang. N. Praecep. tuemur.

26 Fidenter quoque pronuntio, peccata dubia, dum occurrunt memoriae, a peccatoribus ut dubia enuncianda esse in confessione.

27 Graviter peccat, qui sine causa scripto, aut nutibus, et non voce propria praesenti Sacerdoti confitetur.

28 Qui nullo modo peccata sua voce valet confiteri, scripto si possit, si vero non, nutibus, et signis tenetur exprimere.

29 Validane Confessio est, Sacerdoti absentem per litteras, aut internuntium facta? Minime. Nec potest his peccatis scriptura exaratis absolutio largiri.

30 Praeter obligationem ex iure naturae ortam, adest alia Divino, humanoque iure contracta, qua Sacerdos, quolibet casu, sive directe, sive indirecte celare audita in Sacramentali Confessione peccata, obstringitur, nisi adsit expressa, et liberrima poenitentis licentia.

31 Subsequitur tandem tertia Poenitentiae pars, quae satisfactio nuncupatur; quaeque definitur: *Compensatio iniuriae Deo illatae secundum iustitiae aequalitatem.*

32 Satisfactiones respectu tantum Ecclesiae, et ad solam proximorum edificationem esse praescribendas, effutiunt Lutherani, et Calvinistae: at nos ab eorum erroribus recedentes, non ad hoc solum, sed etiam ad iniuriam Deo per peccata praecedentia illatam reparandam, et ad temporalem poenam redimendam, quae culpa, et poena aeterna remissis, in hoc saeculo, vel in Purgatorio remanet luenda, necessarias esse contendimus.

33 Poenitentes a Sacerdote iniunctam poenitentiam acceptare, et adimplere tenentur, idque non solum de ea, quae est in vindictam praeteriti; sed etiam de ea, quae futuri medicina est, venit intelligendum.

34 Satisfactionem poenitens lethali culpa maculatus implere nullomodo potest, si ex ea, eiusque affectu procedat.

EXTREMAE UNCTIONIS SACRAMENTUM.

ECCLESIAE DOGMATA.

1 **U**ctionis Extremae Sacramentum poenitentiae consummativum a SS. Patribus existimatur. Vellem nunc scire, qua fronte ritum quemdam esse, humanumque figmentum, non verum, propriumque Novae Legis Sacramentum blaterent Lutherani, et Calvinistae.

2 Eius materies remota oleum est ex olivis expressum, et ab Episcopo benedictum.

3 Non rationibus, sed fustibus convincendus est ille, qui formam aliquam in hoc Sacramento non adhibendam esse contendit.

4 Ad Sacerdotes spectat Unctionem Extremam conferre; abeant igitur in malam rem Haeterodoxi, qui hoc ministerium aetate senioribus incumbere volunt.

5 Nullum adparet dubium, quin Episcopis liceat, quod Praesbyteris est commissum; fungum ergo pro cerebro haberet, qui facultatem hoc Sacramentum administrandi illis denegaret.

6 Quotquot extremae Unctionis Sacramentum arroganter contemnunt, sacrilegi haud dubie sunt, ultionemque Divinam promerentur.

SCHOLAE POSITIONES.

1 **E**xtremae Unctioni sequens competit definitio: *Sacrum, et mysticum signum a Christo institutum, quo per unctionem olei benedicti, et orationem, seu formam praescriptam baptizatis aegrotantibus confertur gratia sanctificans, eosque confortans, ut aequo animo ferant morbi molestias, frangantque Doemonis insidias, et impetus: necnon, si illis expediat, liberentur ab infirmitate, corporisque languore.*

2 Proxima huius Sacramenti materia alia non est, quam unctio, seu olei applicatio a Sacerdote facta.

3 Quodnam est ferendum de quintuplicis sensuum unctionis necessitate iudicium? Illorum adhaereo sententiae, qui ex quintuplici sensuum unctione, quae nunc servatur, nullam omittendam esse, testantur; opposita tamen probabilitate donatur.

4 Diversa circa partes corporis inungendas obtinuit transactis saeculis disciplina.

5 Recte quidem Ecclesia se gessit, consuetudinem abolendo unguendi foeminas media abdominis regione.

6 Estne ad hoc Sacramentum deprecativa forma omnino necessaria? Ita quidem mihi persuassi.

7 Praecipuus Extremae Unctionis effectus non est peccatorum mortalium, aut venialium remissio.

8 Est igitur gratia roborans animam contra peccatorum reliquias: alleviatio, et corporis infirmi sanitas effectus est secundarius.

9 Nec puerulis ante rationis usum, nec perpetuo amentibus esse conferendum iudicamus hoc Sacramentum, quidquid contra scribat Calvinus.

10 Gravi decumbentibus infirmitate, iisque adultis Sacramentum hoc conferendum est: sed illud tempus expectari non debet, quo aeger sit sensibus destitutus.

Ne-

11 Nemo est unus, qui non asserat, hoc Sacramentum necessarium non esse, necessitate illa, quam Theologi adpellant medii.

12 Quammaxime invigilare debent Parochi, ne fideles absque hoc Sacramento vitam cum morte commutent.

13 2 Grassante pestilentia cum propriae vitae periculo hoc Sacramentum infirmis conferre Parochi tenentur? E suggestu audies.

14 Infirmi si postquam convaluerint, iterum decumbant, iterum quoque oleo Sacro sunt inungendi.

SACRAE ORDINATIONES.

ECCLESIAE DOGMATA.

1 **O**rdinatio, qua sacri initiantur Ministri, non est mera electio, aut caeremonia, ut fingunt hodierni haeretici, sed verum propriumque novae Legis Sacramentum.

2 Principem inter Ordines locum Presbyteratus tenet. Errant profecto Novatores putantes, illos omnes, qui Presbyteri dicuntur, ad solum verbi ministerium, et non ulterius ad Sacrificium supremo Domino etiam in nova Lege offerendum esse delectos.

3 Cum potestate conficiendi Sacramenta nanciscitur Presbyter facultatem retinendi peccata, ab eisque absolvendi.

4 Non desunt, qui simplicem Presbyterum ordinarium Sacramenti Ordinis ministrum faciant; ast cum Ecclesia profitendum solos Episcopos ordinarios esse huius Sacramenti Ministros.

5 Episcopi tenent in Ecclesia ex divina institutione gradum, et ordinem caeterorum Sacerdotum gradu, et ordine superiorem. Concidunt ergo Aerius, eiusque sequaces.

SCHOLAE POSITIONES.

1 **P**lene, eleganterque tradiderunt Tridentini Patres huius Sacramenti definitionem hisce verbis comprehensam: *Sacramentum novae Legis a Salvatore nostro institutum, quo traditur potestas consecrandi, offerendi, ac ministrandi corpus, et sanguinem eius, necnon Sacerdotio ex officio deserviendi.*

2 Septem ab initio ad haec usque tempora Ordines obtinuerunt in Ecclesia Latina; huncque septenarium numerum, nec quorundam aliorum recensio, nec dissidium Theologorum potest firma aliqua ratione subvertere.

3 Clericalem tonsuram, qua Clerici, secernuntur a Laicis, inter veri nominis Sacramenta haud adnumerandam censemus: est ergo dumtaxat ad Ordines suscipiendos praeambula dispositio.

4 In eorum quoque sententiam libenter descendo, qui in singulis quatuor minoribus Ordinibus, veram rationem Ordinis, veramque Sacramenti essentiam agnoscunt.

5 Vitreis argumentis ducuntur, qui a Sacramentorum dignitate remonent Subdiaconatum. Nos e regione positi Ordinem Sacrum esse, non tamen Hierarchicum, sustinemus.

6 Diaconatus proprium est Evangelicae Legis Sacramentum, Ordoque Sacer, simulque Hierarchicus; eos, qui in contrariam abeunt sententiam, facimus teruntii.

Epis-

7 Episcopatus madaequate sumptus pro eo, quod simplici Sacerdotio addit, non est ordo ab eo distinctus, sed est eius extensio, atque perfectissimum complementum.

8 Calicis cum vino, et patenae cum pane traditio cum his verbis: *Accipe potestatem cet.* essentialis est apud Latinos materia Presbyteratus. Est igitur manuum impositio cum his aliis: *Accipe Spiritum Sanctum cet.* accidentaria materia, et forma? minime; sed ex utraque totalis, et integra materia, et forma coalescit.

9 Forma, materiesque Presbyteratus, qua Graeci utuntur, est sola manuum impositio cum his verbis: *Divina gratia cet.*

10 Circa materiam, et formam Diaconatus, caeterorumque Ordinum, meum sensum scire si velis, in agone.

11 Oleum, et operam perdit Morinus, Ordinationes ab Episcopo, aut intruso, aut haeretico, aut schismatico factas, saepe saepius in Ecclesia iteratas fuisse, prolixè demonstrare tentans. Validæ revera sunt, modo aliunde necessaria ad earum valorem, materia nempe, forma, et intentio faciendi, quod facit Ecclesia, adhibeantur.

12 Presbyteris Episcopali caractere non insignitis facultas Tonsuram, et quatuor minores Ordines conferendi potest ab Apostolica Sede concedi: igitur simplex Sacerdos extraordinarius esse valet horum Ordinum minister.

13 Debet unusquisque a proprio Episcopo ordinari, nec nisi ex eius licentia ab alio potest licite promoveri.

14 Sacramenti Ordinis capaces esse foeminas, ausus est proferre Lutherus merito hac in re ab omnibus Theologis reprobatus.

15 Soli viri baptizati, licet infantes, Ordines suscipere valent.

16 Clerici omnes in Occidentali Ecclesia Ordinibus maioribus initiati, ab Episcopo ad Subdiaconum usque perpetuae adstringuntur continentiae; ita ut post Ordinem susceptum, nec matrimonium contrahere valent, nec ante Ordinem contracto uti.

17 Haec continentia Ordini Sacro non naturali iure, nec divino, sed Ecclesiastico est annexa. Id rationabiliter, et aequissime factum inficiantur Novatores, qui libidinibus pasci, vescique amantes legem hanc velut iniustam, tyrannicam, verbo Dei, ipsique naturae contrariam traducunt.

SACRUM CONIUGIUM.

ECCLESIAE DOGMATA.

1 **M**atrimonium humano generi videtur immortalitatem impertiri, et ex filiorum procreatione ipsum continuo renovare; quo certe nihil disertius ad illorum obstruenda ora, qui Matrimonium rem malam, et illicitam esse deblaterant.

2 Tam crebris, tamque dilucidis constat oraculis Matrimonium verum esse, ac proprium Sacramentum, ut id in dubium vertere tantum possit ille, qui velit in meridie caecutire.

3 In Evangelica Lege irritam, illicitamque esse Polygamiam communi calculo Patres definiunt.

4 Et validas, et licitas censemus quascumque nuptias post dissolutum prius matrimonium contractas; aegre licet ferat Montanus.

5 Neque adulterii, neque unius coniugis fornicationis causa in Evan-

gēlica lege solvitur Matrimonii vinculum.

6 Errant quammaxime adserentes, Matrimonii rati non consummati vinculum haud dissolvi per alterius coniugum solemnem in Religione approbata professionem.

7 Statuere impedimenta Matrimonii, prout Sacramenti induit rationem, ad iura spectat Ecclesiasticae potestatis.

8 Sequitur inde, Ecclesiae auctoritatem competere in iis impedimentis dispensandi.

SCHOLAE POSITIONES.

1 **S**I Matrimonium ut est in naturae officium deffinias, recte dixeris: *Viri, mulierisque coniunctionem maritalem inter legitimas personas individuum vitae societatem retinentem*: His verbis, si haec addas: *et gratiam coniugibus conferendam significantem*, eiusdem, prout Sacramentum est, notionem habebis.

2 Matrimonium inter absentes initum sive per procuratores, sive per litteras, sive per nuntios, ratum, validumque est censendum, et in ratione contractus, et Sacramenti.

3 Acris inter Theologos de Sacramenti Matrimonii Ministro agitur controversia, aliis pro Sacerdote nuptias benedicente, aliis pro contrahentibus decertantibus: utrique opinioni sua adest probabilitas: quapropter quam volueris ad oppugnandum elige.

4 Materia huius Sacramenti remota, sunt personae ipsae diversi sexus, nullis obstrictae impedimentis; proxima, earum verba prout mutuum exprimunt corporum traditionem.

5 Matrimonium in veritate contrahitur per interiorē viri, mulierisque consensum, nec verba exterius prolata sufficiunt: caeterum hic internus consensus per verba, aut signa de praesenti exprimendus est.

6 Contractum ex gravi metu a causa libera iniuste, et ad extorquendum consensum incusso Matrimonium irritum est iure positivo, validum iure naturali.

7 Explicitus in copulam consensus ad Matrimonium necessarius non est, sufficit enim implicitus.

8 Absque parentum consensu contractum Matrimonium, nec naturali iure, nec divino positivo irritum habetur.

9 Uxorum pluralitas finibus Matrimonii secundariis repugnat quidem, primariis vero nullatenus adversatur.

10 Postdiluvianis hominibus Polygamiam licuisse ex divina dispensatione mihi persuasum fuit, cum a culpa reperiantur immunes.

11 Verum, atque legitimum Matrimonium Divino, consummatum vero naturali iure indissolubile est.

12 Post Tridentinum Concilium non solum noxia, et illicita sunt clandestina coniugia, verum irrita prorsus, et nulla.

DE STATU ANIMAE POST HANC VITAM.

ECCLESIAE DOGMATA.

1 **T** Amquam Fabulatores nugivendos putida commenta vacuo cerebello fabricantes Albanenses, et Albigenes traducimus, qui inter ani-

animarum receptacula post hanc vitam haud dari Purgatorii locum pleno ore garriunt.

2 Ergo vindicandum vocis, gutturis, ac laterum contentione Purgatorium exitiale Satanae non esse commentum, quod Christi crucem evacuet, quodque contumeliam Dei misericordiae non ferendam irroget: hinc Calvini parvipende deliria.

3 Nihilo minus absurdum Pisennini, et Calvinistarum systema, qui suffragiis vivorum mortuos iuvare posse impudentissime inficiantur.

4 Mortuorum corporum sepulturam esse opus bonum, et pium, ita ex Scriptura perspicuum, ut id denegare grande piaculum foret, de eo dubitare dementia.

5 Illudunt nobis haeretici, dum Sanctos cum Christo in Coelis regnantes pro viventium salute preces suas Deo non fundere comminiscuntur.

6 Cor habet induratum tamquam lapidem, et constrictum quasi malleatoris incudem, qui Sanctos cum Christo regnantes recte, et utiliter a nobis non invocari, pro arbitrio fingunt.

7 Non licet tamen Sanctos advocare, et ab eis petere, ut nobis tamquam auctores gloriam, gratiam, aliaque beneficia ad beatitudinem conferant conducentia.

8 Coelestes spiritus, ac omnes Dei Sanctos cultu quidem minori Divino, sed maiori civili, et mere humano esse colendos, Sacra Scriptura perspicue adeo testatur, ut errare non detur nisi in plena meridie caecutienti.

9 Sanctorum corpora, eorumque reliquiae sunt venerandae: adversus Eunomium, et Vigilantium scelestissima superbia tumentes SS. Martyrum Basilicas ingredimur imperterriti.

10 Iudaei in suo Talmud anno Christi 474. primum edito Christianorum Ecclesias idololatriae domos adseverabant, quod formare, et retinere in illis Sanctorum statuas non detrectarent: ast illorum inscitiam rusticanam plane, ac lineam impietatem, Scriptura duce, adpellamus.

11 Catholici, quibus ex sacris litteris fidei splendor affulsit, ceu illicitum, imo tamquam maximum sacrilegium non possunt non traducere insculptae imagini Divinitatis naturam tribuere.

12 Prohibitum quoque est, et gravissima idololatria imaginem aliquam eo fine pingere, aut sculperre, quasi vera illa sit, et propria Dei similitudo ipsam Deitatis naturam exprimens, et repraesentans.

13 Arbitramur iustum, ac pium esse historias figurare, in quibus Deus sub aliqua representetur imagine, sub qua in Sacra Scriptura describitur, vel apparuisse narratur.

14 Sanctorum effigies honorandas esse, ac venerandas sano cuique sacras paginas intuenti, adeo obvium est, et perspicuum, ut nulla fere gens immansueta licet, et fera hucusque extiterit, quae etiamsi ignoret cultum impertiendum ipsis, eas tamen venerandas nesciat.

15 Delatus sacris iconibus honor non in ipsis sistere debet, sed ad prototypum transire. Tam facile erit nobis suadere cultum hunc non relativum esse, sed absolutum, quam cribro aquam haurire.

SCHOLAE POSITIONES.

1 **A** Nimae statim ac corporis relinquunt exuvias ad aliquem locum, seu quasi locum secundum *meritum*, vel *demeritum* adducuntur.

2 Propter quinque animarum post mortem status totidem eis receptacu-

cu-

cula congruenter adsignantur; coelum scilicet, Patrum Limbus, Limbus Puerorum, Purgatorium, Infernus.

3 Limbus inferni, sinusque Abrahae, licet idem olim fuerit locus ratione sola distinctus, post Christi vero mortem duo sunt reapse diversa.

4 Angelici Praecept. doctrinae basis ad instar innititur, Limbum Patrum, et Damnatorum infernum duo esse receptacula quantum ad locorum qualitatem sustinentes, quantum ad situm vero, locum quasi continuum pronunciamus.

5 Puerorum Elyseum, eorum scilicet, qui cum solo originali peccato discedunt, eundem omnino esse cum Limbo Patrum quantum ad qualitatem poenae adserunt nonnulli: nobis cum bona Theologorum illorum venia longe aliter videtur.

6 Quamvis neque in Florentina, neque in Tridentina Synodo de igne Purgatorii quidquam fuerit definitum; tenendam tamen ducimus Latinorum sententiam, ibi ignem esse adseverantes. Graecorum argumenta non magis illos movent, quam formica terraqueum Globum.

7 Minimam Purgatorii poenam huiusce vitae maximam excedere docet Aquinas: illi victas damus manus in illius verba iurantes.

8 Rationibus quamplurimis edocemur Purgatorii tempus haud esse determinatum, sed plus, minusve taxari secundum Divinam iustitiam ad mensuram gravitatis peccatorum.

9 Eos male mulctandos persentimus, qui animas in Purgatorio detentas adeo esse poenis absorptas, ut non intelligant purgari, sed aeternae damnationi se esse addictas, sunt opinati.

10 Igitur animas in Purgatorio detentas de sua aeterna salute certas esse, ac securas, ita certum, ut nullus remaneat ambigendi locus.

11 Puerorum in Limbo existentium animae orationibus, vivorumque suffragiis iuvare nequeunt.

12 Eo posse pro damnatis suffragia multiplicari, ut a tota poena redantur immunes non quidem simpliciter, sed usque ad iudicii diem adseruit Praepositivus: verum eius commentum, quod, si Angelico Praecepto fides, Divinae Providentiae derogare videtur, veritati non respondet.

13 Tamquam ex falso principio male fluentem inficior Porretanorum consecutionem, qui per primum suffragium aliquotam poenae partem diminui, et per secundum partem remanentis, et sic proportione servata in infinitum obtrudere conantur.

14 Dicendum est igitur, ac simpliciter profitendum quod vivorum suffragia damnatis non prosunt, nec pro eis orare intendit Ecclesia. Adversariorum cavillationibus nostrorum argumentorum vis enervari non valet.

15 Tamquam absurdam, risuque dignam illorum opinionem traducimus, qui fidelium supplicationibus Sanctos, aeterna beatitudine perfruentes, iuvare posse amplexantur.

16 Sancti in Coelo Beati preces suas in conspectu Agni fundunt animarum in Purgatorio existentium liberationem optantes. Adversariorum opinio cum SS. Patrum dictis haud facile valet conciliari.

17 Suffragia facta pro uno magis illi, quam alteri prosunt: solidissimae sunt D. Thomae rationes, quibus assertum hoc demonstratur.

18 Utilia mortuis esse possunt absdubio peccatorum suffragia modo nonnullae adhibeantur conditiones, quas referam libenter: cave tamen putes eorum valore semper defraudari exorantes.

19 Causas, quibus Angelicus tradit Praeceptor, quibus in fine saeculi adiuti, subitoque purgati fideles inamissibilem beatitudinem valeant adipisci, occasione data exponere non gravabimur.

20 Per omnium Theologorum ora volitat Angelos, et Sanctos cum Christo regnantes viventium preces, quae ad ipsos diriguntur, cognoscere. Opinionem istam ratiocinio ex verbo Dei scripto, traditoque elicto, et Homericam nubem auferente tuebimur.

21 Sancti forsitan orationes nostras non cognoscunt: Esto. Quid? inutiliter a nobis invocantur? Apage nugas.

22 Beatorum meritis in hacce vita ab ipsis comparatis, fideles adiuvantur quammaxime.

23 Orationes Sanctorum, quatenus votis suis expresse orant, aliquid pro nobis postulando, semper exaudiuntur.

24 Coeca hominum gentilitas Deos manibus propriis fabricare adsue- ta, quotquot aliqua eorum oculis plausibilia perpetrabant facinora, in catalogo suorum Numinum referebat: de huius relationis, quae Apotheosis apud illos audit, ritu ex Dione, et Herodiano, si per vos licet, non iniucunda texetur oratio.

25 Missa Gentilium referendi in Deos etiam flagitiosos mortales homines superstitione, ad quaerendam sacrae consuetudinis originem inscribendi catalogo non Deorum, sed servorum, amicorum Dei, viros quorum vita, fide, ac pietate eluxit, manu veluti ducimur.

26 Huius consuetudinis, cuius aliquod in veteri lege reperitur vestigium, originem, progressus, ritusque adhiberi solitos in promptu habere pollicemur.

27 Sanctorum, prout fit a Romano Pontifice, Canonizatio, hisce continetur: *Canonica, sollemnis, et publica definitio per Papam facta, quod aliquis ut Sanctus ab omnibus honoretur; aliorum Sanctorum catalogo adscribatur, et certa annuatim die officium de eo celebretur.*

28 In quo tamen a canonizatione differat beatificatio aperiam interroganti.

29 Eis, qui penes Romanum dumtaxat Pontificem residere auctoritatem Sanctorum albo adscribendi fideles propugnant, caput aperimus.

30 Concilium Provinciale non posse Sanctos canonizare, secus Generale legitime congregatum vel prima fronte videtur esse firmissimum.

31 Ultimum, ac supremum iudicium, quod Christi in terris Vicarius in Sanctorum canonizatione sibi adservavit, operam, ac Episcoporum sententias quoad praecedentes actus minime excludit.

32 Licet summa in Sanctorum albo referendi potestas in solo Romano Pontifice resideat, ad eam vero absque Cardinalium consilio, de congruo tamen, et honesto, minime procedit.

33 Licet supremum Ecclesiae caput in Sanctorum canonizatione absolute errare non possit, non est tamen immediate de fide vere Sanctum esse hunc hominem canonizatum.

DE FINE MUNDI.

ECCLESIAE DOGMATA.

1 **M**ilitantem Christi Ecclesiam viperino dente haeretici dilacerare tentantes, Antichristum Romanum esse Pontificem, futilibus, ac secum

Q

pug-

pugnantibus ratiunculis nobis obtrudere conantur: ast illorum commentum ita Scriptura Sacra perstringit, ut se delusos agnoscere debeant, quibus aliquid pudoris est, frontemque non omnino perfricuerunt.

2 Haec fuit omnium saeculorum traditio, cunctorum Patrum, et Ecclesiarum consensio, Antichristum quemdam singularem hominem futurum.

3 Qui in Ungaria, et Transilvania haeresim Pauli Samosateni excitarunt, ulterius progressi paulo post Apostolorum mortem terrestrem Doemonem advenisse asseruerunt. Ast grande, et immane scelus est, quo ipsi irretiuntur.

4 Qui certum determinatumve tempus constituunt, quo elapso infensissimus Ecclesiae hostis Antichristus est appariturus, haereticorum canonibus polluantur.

5 Igitur hicce Christianorum terror nobis nondum adfuit, sed est venturus, idemque regnaturus. Ovet quantum velit versutiloquus Lutherus.

6 Antichristum futurum non esse Diabolum ipsum, qui de falsa Virgine apparentem carnem est assumpturus, nec Doemonem incarnatum, ita obvium est, et compertum, ut non modo coecos, sed vecordes esse oporteat, qui hoc pertinaciter inficiantur.

7 Nec melioris commatis est illorum delirium, qui Neronem utpote futurum Antichristum, vel surrecturum, vel adhuc vivere, et occulte servari suo tempore appariturum gestientes tradiderunt.

8 Sectariorum inepta cavillatio est unanimi Catholicorum sensu risu excepta, et ab iisdemque confutata, Enoch, et Eliam nunc vitam nec agere, nec a Deo in loco sibi noto custodiri.

9 Inter ea, quae extremum iudicii diem praecessura signa, Solis, ac Lunae lucis fore defectionem, vel rudioribus obvium est, et compertum, si vulgatam Sacrae Scripturae versionem consulamus.

10 Nebulonibus male feriatis, ac nugatoribus universalem Mundi conflagrationem in illius fine venturam inficias euntibus, non possum non subirasci.

11 Generalem corporum resurrectionem futuram Sacrae Scripturae testantur: Aethnicorum Philosophorum, ac Saducaeorum deliramentum impossibilem illam arbitrantium velut nullius pretii rem, merasque quisquillas habendum putamus.

12 Generali lege omnes omnino mortuos, qui ante ex privilegio haud resurrexerint non amplius morituri, aliquando surrecturos ille solum negare audebit, qui oculos luci clausit, aures veritati obturavit.

13 Mortuorum omnium iterata ad vitam surrectio ad mundi usque finem est differenda: unde homo cum dormierit, non resurget, donec atteratur coelum; non evigilabit, nec consurget de somno suo.

14 Omnium calculantium digitos, si Augustino fides, resolvit, et quiescere iubet Christus, dum Apostolis tempus generalis surrectionis sciscitantibus omni ex parte occultum esse testatur.

15 Solem meridie lucentem negare malunt, quam victrici veritati faces submittere, qui cunctos ad unum resurrecturos homines Lethaeum prius somnum subituros in propatulo habere nolunt.

16 Et Sacris paginis, et omnium plane hominum sensu firmatur, animas in generali resurrectione idem numero corpus adsumpturas.

17 Cave tamen putes, corpori per generationem iterum animam naturaliter coniungendam.

Nec

18 Nec elleborum quidem se ab haereseos lae purgabunt, qui non eundem numero hominem prius spirantem, surrecturum auspicantur.

19 Dum ex Apostoli verbis pro aris, et focus nullum post resurrectionem foemineum sexum futurum Armeni propugnant, novis quaesitis diverticulis totum Sacri Oraculi sensum nobis invertere videntur.

20 ꝑ Ecquis foedatissimos hosce homunculos sine stomacho audiat, Adami progeniem in vita animali surrecturam temere, arroganterque blaterantes? Errorum Mahometis propola, non ego.

21 Asserenti Scripturae damnatorum corpora incorruptibilia surrectura nebulas offundere moliuntur haeretici: mirum quod illorum cavillationum finis non sit, nedum exhausta sophismatum pharetra.

SCHOLAE POSITIONES.

1 **L**occi facienda est Haereticorum inscitia, dum Antichristi nomine supremum Christi Vicarium sibi volunt designatum.

2 Hominem peccati Diaboli opera ex Virgine nasciturum tamquam erroneum firmiter, fidenterque pronunciamus.

3 Eis, qui horrendum hocce monstrum non ex legitimo matrimonio, sed ex fornicaria, aut adultera muliere proditurum probabile reputarunt, omnino consentimus.

4 Abeant in malam crucem, qui filium perditionis ex genere Iudaeorum de Tribu Dan oriturum vel levissime inficiantur.

5 Caldaeorum Babylonem, in qua perennem (quam sibi finxerunt) Principum ex Tribu Iuda successionem maxima cura Iudaei servare dicuntur, Antichristi patriam futuram, si, quod sentio, liceat loqui, pronuntiabo.

6 Ne hac super re oratio multa fastidium pariat, en eorum, quae amissim explanare pollicemur, specimen: orti ab orco monstri educatio, ingenium, mores, doctrina, sectariorum character.

7 Miracula nonnulla non vera, sed apparentia editurum Apostolus pronuntiavit: igitur ille fucata pietatis larva homines quasi volucres viscata virga fallere tentabit.

8 Quam falsum sit, et a ratione alienum, Antichristum Angelum custodem non habiturum ex Ang. Prae. satis arbitror demonstrandum.

9 Antichristus nec iure haereditario, nec ullo iusto titulo, sed solis fraudibus, et nequissimorum hominum praesertim ex Iudaeis acclamationibus Rex renuntiabitur.

10 Fraudes, quibus ad Regnum ascendet, ex Hippolyto Martyre enucleabimus; modum quoque, quo super magnam Orbis partem tyrannicum dominatum est consequuturus, enodare aggrediemur.

11 Antichristi sedem non Romam, seu Petri cathedram, ut deliri blaterant A catholici, sed in exordio Regni sui Babylonem Chaldaicam, deinde Hierosolymam futuram, nobis passim suadent Scripturae.

12 Tribulatio tum corporalis, tum spiritualis fideles adversus Antichristi diebus erit adeo magna, qualis non fuit ab initio Mundi usque modo, neque fiet.

13 Henoch, et Eliam adhuc vivos a Deo servari, ut sint secundi adventus Christi praecursores, et Antichristo se opponant, constans adeo Catholicorum est sententia, ut oppositum sentire, ne quid maius dicam, parum in fide sit tutum.

Moy-

14. Moysem, Hieremiam, et Ioannem Evangelistam Iudicis adventum praecessuros, ac poenitentiam gentibus predicaturos sustinent non pauci; sed parum acute.
15. Acta Enoch, et Eliae Antichristi tempore, quando, et quomodo sint apparituri, quibus spiritualibus armis adversus Bestiam pugnaturi, qualis illorum finis sit futurus, dabo sciscitanti.
16. Ipsos mille diebus ducentis sexaginta prophetaturos testem dabo omni exceptione maiorem. & Audin? Ioannem Evangelistam.
17. Praedicationis eorum fructus futurus est non solum fideles confirmare, sed infideles, et Iudaeos ad veram fidem pertrahere.
18. Non omnes tamen Iudaeos, quamvis maximam eorum partem, fore novissimo illo tempore convertendos ut plurimum sustinetur: confecta res est, non oppugnamus.
19. Adserentes Antichristum tribus annis cum dimidio non regnaturum, verberat Daniel adeo aperte, adeo dilucide, ut omnem prorsus Novatorum cavillationem elidat.
20. Terrestrem Doemonem exitum pro meritis infelicem habiturum omnibus notum est; qualis autem sit futurus, nostrum erit aperire.
21. S. Hieronymus (quocum mihi contendere pudor) quadraginta quinque dies interfluxuros a nece Antichristi, ad finem usque mundi adseverat: nobis una mens est.
22. & Vultis, ut quatuor signa imminentem Iudicis adventum praecessura, obscuracionem scilicet, Solis, et Lunae, stellarum cassum, virtutum coelorum commotionem minutatim, ac per partes expendamus? Rogitate, praesto erimus.
23. Mundum peccatis hominum conspurcatum ignea rerum omnium conflagratione purgandum esse inter comperta reponimus.
24. Ista mundi conflagratio quoad purgationem, eiusque renovationem Iudicis adventum praecedet; illum vero quoad involvendos in tartarum reprobos subsequetur.
25. Nec coelum sydereum, nec alii inferiores, a fortiori nec Empyreum igneae conflagrationis flamma eluentur.
26. Licet vorax ignis elementa quantum ad substantiam, propriasque eorum qualitates non purget, ea tamen ab infectione, quam ex peccatis hominum contraxerunt, et impuritate, quae per mutuam actionem, et passionem in eis accidit, absterget.
27. Nihil frequentius in ore habent Theologi, quam quod ultimae conflagrationis ignis omnia mixta destructurus sit, et in cineres reducturus.
28. Homines tunc viventes (aliter tamen, et aliter) novissimae conflagrationis rogo interimendos, et consumendos fore, emunctae naris sentiunt Theologi.
29. Licet resurrectionis nostrae causa finalis praecipua sit gloria Dei, efficiens principalis Deus ipse; causa tamen exemplaris resurrectio Christi est.
30. Angelos suos cum tuba, et voce magna mittet Christus ad resurrectionem, et iudicium mortuos excitaturos.
31. An morituri sint illi, qui vivi in Iudicis adventu reperientur, quaestio non modica est, quae veterum torsit ingenia: Ang. Prae. sententiam eos omnes mortem subituros docentis, utrisque ulnis amplectimur.
32. Quidquid de naturae veritate in humano corpore reperitur, iterum resurrecturum, magni Aquinatis doctrina clarescit, ac illustratur.

Quo

33 Quo vero modo Antropophagorum , seu carnibus humanis vescentium resurrectio futura , ut in ipsis naturae humanae veritas salvari valeat , non iniucunda oratione parati sumus exponere.

34 Omnes formales corporis partes cum ipso surgent ; cave tamen ne idem prorsus de materialibus feras iudicium.

35 In illorum sententiam propendeo quam maxime , qui capillos , ungues , et quatuor humores in humine surrecturos sustinent ut probabilius.

36 Corpora Beatorum in illa perfectione surrectura , quam natura in iuvenili habet aetate , ita clarissimis rationibus ad oculum demonstravit Aquinas , ut nulli vel levissimus dubitandi locus remaneat.

37 Etsi non aequè certum , probabilius tamen videtur etiam damnatorum corpora in vitam iterum revocanda in aetate perfecta absque omni vitio , ac defectu naturali.

38 Non omnes in eadem ex aequo statura , sed quilibet resurget in illa quantitate , in qua fuisset in termino augmenti , si natura a scopo non defecisset.

DE IUDICIO UNIVERSALI , ET CONSEQUENTIBUS IPSUM.

ECCLESIAE DOGMATA.

T 1 **I** Urpiter deluduntur , supinosque , ac coecos Sacrarum Scripturarum interpretes sese produnt haeretici , dum iudicium universale post generalem omnium , qui morte ceciderunt , surrectionem futurum perfricta fronte inficiantur.

2 In fine mundi , et immediate post generalem resurrectionem severum Iudicem ad iudicandum venturum Sacrarum Scripturarum arbitror esse consecrarium.

3 Mundum sex annorum millibus , aetatibusve duraturum , quibus expletis succedat Dies Domini magna , et amara valde , qua Christus saeculum per ignem est iudicaturus , commentum est insulsum , erroneum , impium.

4 Nec stipite aliquanto plus sapiunt , qui , quot anni a mundi conditione , et exordio ad Christum usque sunt elapsi , totidem ab ipso Redemptore ad mundi consummationem fluxuros fabulantur.

5 Incertum quoque esse anni mensem , mensisque diem , diei horam , non secus ac digitos nostros , ac ungues noscimus.

6 Christus Dominus constitutus à Deo est Iudex vivorum , et mortuorum : improbos haeticorum conatus , quaeis lucidissimae huic veritati nebulas offundere moliuntur , vanos prorsus , et irritos ostendimus.

7 Non Christum solum , sed nonnullos quoque aliquo pacto cum ipso iudicatos quisque adseverabit , si ad ea , quae Scriptura narrat , paulisper attenderit.

8 Omnes ad unum homines , qui fuerunt ab initio , eruntque usque ad mundi finem , ante Iudicem congregabuntur , ut unusquisque villicationis suae reddat rationem.

9 Grandi fide , atque constantia pronuncio omnes omnino boni sint , sive mali , iudicio et sententia retributionis iudicandos.

10 Quibus , queso suadebit Calvinus de medio tollendum particulare iudicium , quo anima in illius a corpore egressu iudicetur ? Christianis

R

his-

historiam Evangelicam probe callentibus? Turcis tantum, aut Sinis nonnisi Alcorani deliria, et Confucii somnia lactitantibus.

11 Constans est, et certa orthodoxorum sententia, locum, in quo Beati perpetua felicitate fruuntur, fore coelestem.

12 Infernum merum esse commentum ad deterrendos a facinoribus homines flagitiosos excogitatum, Athei, Libertini, aliique huius furfuris homunculi blasphemarunt; quos catholica falce detruncare nimis non erit operosum.

13 Seleuciani vero, et Hermiani errorem temperare volentes mundum istum infernum esse, nullumque alium superesse autumabant: verum fabulabantur profecto.

14 Nec minus veritatis semitam deserere videtur Almaricus, qui Tartari nomine non locum aliquem designari, sed impios infernum in se habere, ore nimis duro ausus est pronunciare.

15 Nomen tantum esse confusionis, et perditionis Calvinus sentire videtur; sed quam inscite!; quam impudenter!

16 Hisce igitur haereticis, eorumque opinionibus tamquam a catholica veritate alienis valere iussis, constanter, fidenterque pronunciamus, dari materialem locum, in quo impii post hanc vitam acribus suppliciis puniantur.

17 Error Origenis fuit Doemonum poenas post multas saeculorum evolutiones ex infinita Dei misericordia finem habituras, quem insectabitur absdubio, qui inter perduelles A catholicos non erubescat numerari.

18 Quidam istius errorem emolire nitentes, Proselytorum quidem Angelorum poenas aeternas fore; sed omnes omnino homines aliquando a suppliciis liberandos adseruerunt; verum eodem quo ille pede mihi claudicare videntur.

19 Nec interminabile Dei iudicium sectatores Christi omnes, modo lethalis criminis nexu obstricti vitam finierint, evadent.

20 Num aeterno igne illo saltem liberandi, qui gravi licet noxa decedentes peccata eleemosynis redimere non neglexerunt? in dubium vertunt nonnulli: ast hoc ludicrum prorsus est, ac desperatae causae apertissimum argumentum.

21 Igitur impius mortali culpa decedens poena plectetur aeterna.

SCHOLAE POSITIONES.

1 **E**Xtremum cunctorum iudicium in Valle Iosaphat instituendum asserunt Ecclesiae Patres, quibus stare nobis religio est.

2 Verbis illis Math. 24. *Tunc apparebit signum cet.* nihil aliud designari nisi ipsam Christi humanitatem cum vulnerum cicatricibus apparentem, nullo solido fulciri fundamento arbitramur.

3 Signaculo isto, quod ab ipsa humana Christi natura prorsus diversum volumus, illius crucem designari, ita extra omnem dubitationis aleam positum est, ut nullum reperire sit, qui hoc audeat inficiari.

4 An vero crux in novissimo die apparitura futura sit illa eadem, cui Dominus affixus est, num vero alia ex aëre, vel splendidissima nube formanda quaestio non modica est, et explicatu difficilis.

5 Ego vero in hoc opinionum conflictu postremae interrogationis parti utpote magis probabiliori subscribo.

6 Hoc crucis signum tunc conspiciendum putamus, quando consumma-

mato per conflagrationem orbe homines resurrecturi coram Christo Iudice comparebunt.

7 Christus sub humanitatis forma veniet, et iudicabit; non autem ipsius humanitatis, sed Divinitatis virtute cunctorum scelera discussurus.

8 Vivorum, et mortuorum Iudex in nube quasi in sede, et Maiestatis throno ad iudicium descendet sub specie humanitatis gloriosa.

9 Omnes, qui coram Iudice sistent, ipsius humanitatis gloriam conspicient, illius vero divinitatis penetralia pervadere singulis, et solis iustis conceditur.

10 Non solum Sancti malos, et boni mundanos diiudicabunt, sed etiam boni a melioribus, peiores vero a malis iudicio comparationis iudicabuntur.

11 Iudicio approbationis iudicare, penes omnes reperitur electos.

12 Apostoli, et viri Apostolici peculiari quodam modo in iudicio sedebunt, et iudicabunt: nobis favet nativus Scripturae sensus, si paulo penitius perpendatur.

13 Ang. Prae. doctrinae congruenter loqui videntur, qui Angelos ministerium hocce in die ultionis exequi inficiantur.

14 Utrum ultimum discussionis iudicium mente, an vero voce solummodo perficiendum, meum erit exponere.

15 Singulas in singulos homines ferendas sententias de qualitate, et mensura praemii, vel poenae vocaliter a Christo Iudice non exprimendas tamquam verisimilium sustinendum putamus, si Ang. Praeceptorem religiosius aemulari velimus.

16 Probabiliter quoque eodem Ang. Prae. duce sustineri potest, quod Christus conscientiarum arbiter generales sententias *Venite Benedicti cet. et ite Maledicti cet.* voce sit saltem prolaturus.

17 Non ab omnibus omnino hominibus discussionis propriae dictae iudicium sustinendum, adstruamus necesse est, quotquot Ang. Prae. vestigia solide insectari profiteamur.

18 In Angelos, boni sint, sive mali, in extrema factorum cunctorum ratione iudicium per se haud statuendum arbitramur quantum ad praemium, aut supplicium essenziale; sed consecutive tantum ad mercedem, vel poenam accidentalem.

19 In ultimo aevi termino sua cuique bona, vel mala opera, quae dum hic viveret, perpetravit, manifesta erunt.

20 Quomodo cuique statim occurrere poterunt omnia, et singula totius vitae etiam minuta peccata, in agone exponemus.

21 Non solum quilibet ea, quae operatus est, in conscientia propria videbit, sed etiam aliena opera leget in alterius conscientia; adeo ut omnia sive bona, sive mala, quae quisque in vita gessit, omnibus sint apparitura.

22 Nec a generali lege exceptas volumus electorum nequitas, licet stolas suas laverint in sanguine Agni.

23 Particulare iudicium in separatione animae a corpore, seu, ut Scholasticis placet, in primo instanti extrinseco vitae fieri debere communi Theologorum calculo firmatur.

24 Aspectabilem huiusce Universi machinam post Divini Iudicis sententiam innovandam, nisi, qui mentem habuerit chimaeris pastam, in dubium revocabit nullus.

25 Coelestium corporum innovationem in eorum claritatis augmento positam adseveramus.

Quan-

- 26 Quantitas tamen, et modus huius augmenti illi soli notus est, qui erit illius auctor.
- 27 Elementa quoque claritate decoranda communi Thomistatum lege tenemus.
- 28 Ang. Prae. doctrinae telo, qui plantas, animalia, mixtaque caetera in mundo ita nobiliter decorato mansura sentiunt, a nobis petuntur.
- 29 Illorum opinionem velut infantium crepundia vana, ac fugacia contemnimus, qui mundum sic innovatum pueros, qui sine baptismo decesserunt, incolas habiturum dextra tutantur.
- 30 Coelorum supremum, quod Empyreum vocitatur, propria, ac peculiaris est Beatorum sedes.
- 31 Beati Damnatorum poenas vident, nec tamen miserrimae illorum sorti compatiuntur.
- 32 Num super damnatorum poenas gaudeant Beati, in arena promam.
- 33 Illorum opinio spernenda potius, quam refutanda venit, qui inferni carcerem extra totam huius Mundi sphaeram situm esse arbitrantur.
- 34 Quidam regionem quandam, quae infernus appelletur, intemperantissimam, molestissimamque in nostra terrae superficie fingunt: ; at quisnam, cui mica sit salis, opinionem illam commentitiam esse non videt!
- 35 Nec felicioribus ad divinandum ventis ducuntur, qui damnatorum animas in Aethna, ac Vesuvio poenas peccatis debitas luere fabulantur.
- 36 Licet ex Divina dispensatione in aëre caliginoso ad hominum exercitium versentur Doemones, iste tamen locus non est permanenter pro eorum poena destinatus.
- 37 In hacce opinionum varietate Ang. Prae. sententia limpidissima, disertissimaque prae caeteris nobis videtur, scilicet inferni carcerem sub terra in eius visceribus reperiri.
- 38 Se deridendos potius, quam confutandos propinant, qui istud impiorum ergastulum in ipsa Mundi creatione a Deo praeparatum fuisse inficiantur.
- 39 Quo autem creationis die, incerta, et dubia res est. Quidam secunda conditum volunt, alii vero ad tertiam usque illius creationem pro tendentes aenigma solvere visi sunt; sed hallucinantur profecto.
- 40 Igitur, cum adhuc terra ipsa vel arida lateret, iam inferni rogos erat in illius visceribus succensus, qui in reproborum supplicium cum ipso Mundi esse simul inciperet.
- 41 Inter poenas, quibus sunt cruciandi damnati, vermis ab Isaia reponitur, quem spirituales fore, perpetuum nempe morsum conscientiae, arbitrant Ang. Praeceptorem mirum in modum consentientem habebunt.
- 42 Quod per omnium Thomistarum ora volat, damnatos scilicet circumambiri luce aliquantula corporalibus tenebris involuta, quibus eorum adaugeatur miseria, et nos quoque pronunciamus.
- 43 Omnis damnatorum deliberata voluntas mala est, nec bonum aliquod eorum subiicitur potestati.
- 44 Aeterno qui carpitur igne, licet voluntatem obfirmatam in malo habeat, suis perpetrandis sceleribus nihil demereri plana res est, et inconcussa.
- 45 Damnatos ad stygium orcum continuo peccare contendo: tantum abest, ut impeccabilitate eos gaudere venditemus.
- 46 Doemones, atque damnati id, quod nullam boni rationem praesferre videtur, non esse scilicet, avidissime exoptabunt.

47 Aeternis Etebi tenebris involutos Deum in effectu iustitiae percipientes odio prosequuturos ita disserte docet Ang. Prae. , ut nulla tergiversatione celari posse videtur.

48 Naturali rerum notitia in hac mortali vita acquisita damnatos uti, nihil prohibet.

49 In atra tartarorum poena requies nulla , intermissio , aut mitigatio futura est : hanc oppugnare adsertionem , praeceptis mihi temeritas.

SCRIPTURA SACRA.

VETUS TESTAMENTUM.

GENESIS.

1 **L**iber , quo mundi nascentis historia narratur , Geneseos nomen accepit : illius auctor , quo laude dignior , eo laude maior , fuit Moyses , summus quidem historicus , insignis poeta , philosophus eximius , sublimis Theologus , legislator peritissimus : haec , et alia primo oculorum obtutu patent legenti lib. Exo. Levi. Num. et Deut. etiam ab ipso adornatos.

2 De singulis ergo notatu digniora libaturi incipiendum a Genesi, quae , ut aiebat M. Hieronymus de creatura mundi , de exordio generis humani , de divisione terrae , de confusione linguarum , et gentium , usque ad exitum scribitur Hebraeorum : totumque illud spatium complectitur , quod a Protoplasto Adamo ad Iosephi Patris dormitionem fluxit.

3 Cui Gnosticorum , Manichaeorum , Hermogenis deliramenta non sapiant , Deum O. M. aeternum dumtaxat ; caetera praeter ipsum temporis affixa , in quo tamquam in principio creavit ille coelum , et terram , utramque de nihilo creaturam spiritualem , et angelicam , corpoream , et mundanam , aperto ore confitebitur.

4 Ergo solus Deus sibi ex se sufficiens hunc adspectabilem mundum condidit , et verno tempore , et sex dierum spatio.

5 Num in his subodorari licebit figuratam narrationem ? ita placuit M. P. Aug; Nostro Ang. Prae. visum est litterae textus potius haerendum , cui penitus consentimus.

6 Principium illud , in quo Deus Coelum , et terram creavit , exponi potest 1.º vel de exordio rerum creaturarum , 2.º vel de initio temporis , 3.º vel de Filio , seu Verbo aeterno Patris.

7 Nomine spiritus Dei , qui ferebatur super aquas , intelligimus tertiam SS. Triados Personam.

8 Verbum Divinum , *fiat lux* , non externum vocis sonum explicat , sed internum , et essenziale , tribus Personis commune.

9 Firmamentum , secundo die factum , ex interpretatione , quam laude dignissimam iudicat M. Aug. L. 2. de Gen. ad lit. c. 4. complectitur totum illud spatium , quod a terra extenditur usquequo oculorum acies pertingere valet.

10 Opus tertio , quarto , quinto die productum , quaestionesque pulchras inde subortas breviter resolvemus.

11 Iumenta , et reptibilia , et bestias terrae secundum species suas , hominemque Deus sexto creavit die , viventem animam indidit illis,

S

huic

huic praeterea spiritum materiei prorsus expertem, immortalemque infudit.

12 Imaginem, et similitudinem Dei, ad cuius exemplar fuit homo formatus, exprimit hic ratione naturae intellectualis, imperfecte tamen.

13 Nedum Iudaeorum, ut saeculo superiori poenituit coram Alexandro VII. Peirerium dixisse, verum et quotquot extiterunt homines, primus Parens fuit ille 2. Gen. descriptus, ante quem homo non erat, qui operaretur terram.

14 Formavit Deus hominem de limo terrae, cui non invento adiutorio simili, detracta costa eam aedificavit Dominus Deus in mulierem; facessant ergo quotquot hanc Geneseos de productione Evae narrationem non secundum litteram, sed figurate accipiendam effutiunt.

15 Proto-Parentibus Adamo, et Evae a primo suae formationis instanti quoad mentem per gratiam Deus illuxit.

16 Primus homo infusam a Deo cognitionem habuit rerum, quas naturaliter diligentia adhibita reliqui adipiscuntur; supernaturalium vero tantam, quanta necessaria erat ei ad ordinem altiorem elevato.

17 Hinc Adam, hominum sapientissimus, in statu innocentiae errare, aut decipi nequivit.

18 Praefuit idem piscibus maris, et volatilibus coeli, et bestiis universae terrae, et quantum ad ius, et quoad exercitium.

19 Deus creavit hominem inexterminabilem, invidia autem Diaboli mors intravit in orbem terrarum.

20 Ad humani generis multiplicationem in illo innocentiae statu, fuisset generatio utriusque sexus prolifica.

21 Nec corpus infantile tunc perfectam vim habuisset, nec anima, etsi iustitiae dono ornata, huius inamissibilitatem.

22 Pueri nec in scientia nati, neque perfectumque rationis usum in illa aetate adepti.

23 Paradisus seu locus singulariter amoenus manu Dei consitus fuit locus ille, qui Proto-Parentibus primam habitationem praebuit.

24 Vere corporeus fuit Paradisus, in quo et Eva primo condita, et Adamus statim post creationem repositus.

25 Nemo nisi rationis impos mundum totum Paradisum esse adserere audebit.

26 Circa Mesopotamiam, et Babyloniam fuit situs Paradisi, cuius terrestre solum et nomen, et amoenitatem amissit.

27 Praeceptum sub gravi poena de non gustando ligno scientiae boni, et mali, ab eventu ita nuncupato, Protoplasti fuere transgressi, instigante Doemone, per verum, naturalemque serpentem.

28 Si ergo quaeritur, cur Deus permisisset tentari hominem quem tentationi consensurum esse praesciebat? Altitudinem consilii eius penetrare non possum, et longe supra vires meas esse confiteor. Aug. L. 11. de Gen. ad lit. c. 4.

29 Neque arbitrandum, quod esset hominem deiecturus tentator, nisi praecesisset in anima hominis quaedam elatio comprimenda, sed nec ipsa sola, verum pleraque ipsi coniuncta.

30 Hinc in ampliorem delabimur agonem inquisituri qua ratione exponendum illud Apos. 1. Tim. 2. *Adam non est seductus, mulier autem seducta in praevaricatione fuit.* Rem aperiemus.

31 De gravitate absoluta, et comparativa, poenis peccati Proto-paren-

rentum , horumque resipiscentia , et aeterna salute , in arena.

32 Eiectus Adam de Paradiso , ut operaretur terram , cognovit uxorem suam Evam , quae concepit , et peperit Cain ; rursusque peperit fratrem eius Abel : sicque coeperunt homines multiplicari super terram.

33 Fuit autem Abel pastor ovium , et Cain agricola. Sacrificia , quibus uterque utebatur , mandante Deo , obtulisse , rectius loqui videntur , qui asserunt.

34 Respexit Dominus ad Abel , et ad munera eius , ad Cain vero , et ad munera illius non respexit ; cumque essent in agro , consurrexit Cain adversus fratrem suum Abel , et interfecit eum ; qui , cum esset iustus , Martyr evasit.

35 Lamech ducendo secundam uxorem , legem divinam transgressus , contra primaevam matrimonii institutionem peccavit.

36 Quales nunc sunt , et tunc erant Patriarcharum anni. Appage illorum sententiam , qui multo nostris breviores existimabant.

37 Dimissis Iosepho , et Philone minus digna de Angelis narrantibus , placuit posteros Seth esse filios Dei , qui videntes filias hominum , nempe Cain , quod essent pulchrae , acceperunt sibi uxores ex omnibus , quas elegerant ; quibus nefas permisceri.

28 Hinc terra repleta iniquitate , centum viginti annos poenitendo hominibus misericorditer indulsit Deus.

39 Verum cum cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore , finis universae carnis venit coram Deo. Noe vero invenit gratiam : huic iussum arcam fabricare , cuius facturam sacri eloquii totidem verbis repetam.

40 Ingrediuntur arcam Noe , tres filii , uxoresque cuiuslibet ; ex mundis animantibus septem , duo ex immundis : apertis mox Coeli cataractis omnem carnem , eiusque iniquitatem Deus delevit.

41 Anno sexcentesimo Noe , non exacto , sed per dies quadraginta septem inchoato , incepit Diluvium , cuius durationem , et chronologiam dabimus.

42 Famosa quaestio , et disputatione omnium Ecclesiarum ventilata , aiebat Mag. Hieronymus , quod iuxta diligentem supputationem quatuordecim annos post Diluvium Mathusala vixisse referatur : sed hanc plurimum codicum mendositas peperit.

43 Nos veteri , et vulgatae nostrae Bibliorum editioni tenacius quam saxo polypus , haerentes , eius chronologiam a mundo condito ad finem usque diluvii deductam praeferendam censemus calculo Sep. Interpretum.

44 Iusto , et maxime sobrio , verum inexperto Noe , ebibitis pressis ubis , ebrietas supervenit , haud crimini vertenda ei , qui primo coepit exercere terram , et plantare vineam.

45 Ex Cham altero filiorum Noe ab ipso maledicto oriundus Nemrod , coepit esse potens in terra , fuit principium regni eius Babylon , turris Babel conditor , publicisque honoribus quasi Deus prosequutus a Nino , initium fecit idololatriae post Diluvium.

46 Erat autem terra labii unius , et sermonum eorundem , cum descendit Dominus , ut videret Civitatem , et turrin , quam aedificabant filii Adam , quorum ita fuit permixta locutio , ut non audiret unusquisque vocem proximi sui. Confusio haec in ortu Phaleg videtur contigisse.

47 Inter Arphaxad , et Sala posteros Sem certo omissus est Cainan , qui et apud Sep. et Lucae Evangelium medius inseritur.

Di-

48 Difficilior profecto, et nodus Gordiano intricatior accurata supputatio illius temporis, quo vitam producens suam Thare genuit Abraham: nobis placet statuere Abrahamum anno Patris sui Thare 130. natum fuisse.

49 | Fortunatus Abraham! cui pluries Deus dignatus loqui: prima locutio ad eum fuit directa existentem non in Haran, sed in Mesopotamia, vel in Ur Chaldaeorum.

50 Calvinus, & nosti qualis homo? et Faustus Manichaeus Abrahamum traducunt ceu mendacem, matrimonii nundinatorem, dubiumque divinae promissionis: verum in tota illa cap. 12. Geneseos historia nec dicto, neque facto peccavit Abraham.

51 Lot a patruo suo Abraham in terram Sodomorum salva charitate discessit, non foeditate discordiae, sed necessitate sustentandae familiae digrediens.

52 Verba illa Domini ad Abraham, *terram, quam conspicias, tibi dabo cet.* nedum de illa, quae oculo praesens erat, intelligenda, verum et de regione, quam iussus fuit perambulare penes longum, et latum.

53 Abraham, eiusque posterum, principaliter ex Heber, qui fuit pronepos Sem, Hebraei appellati sunt.

54 Vi fraternae charitatis, innocentiaeque Lot cognita impulsus Abraham, iustissime bellum iniit cum quatuor illis Regibus, qui Lot advenam in terra Sodomorum opprimentes, universam substantiam huius rapere festinabant.

55 Abrahamo parta victoria revertenti, obviam ivit Melchisedech, qui neque Sp. Sanctus, neque virtus quaedam divina Christo superior, neque Dei filius, aut Angelus fuit, sed verus homo Chananaeus, itidemque Rex Salem.

56 Melchisedech Sacerdos Dei Altissimi, etsi tunc temporis insolitum, verum tamen obtulit Sacrificium pane, et vino utens, Eucharistiae typum legitimum.

57 Anni 400. de quibus v. 13. c. 15. initium sumunt a nativitate Isaac, et complentur in exitu de Aegypto, ubi pariter terminantur 430. anni, de quibus Exodi 12., inchoandi a promissione Abrahae facta de benedicens terrae cognationibus in eius semine.

58 Sarai uxorem Abrahae quasi lenam, et hunc quasi adulterum inculpat Calvinus, quod illa dederit, iste sibi copulaverit ancillam Aegyptiacam Agar. Verum nulla est hic cupido lasciviae, nulla nequitiae turpitudine.

59 Deus mutatis nominibus Abrae, et Sarai, praecipit illi circumcisionem in pactum sempiternum ab ipso Isaac, huiusque posteris servandum, gravi poena praescripta.

60 Lot offerens filias Sodomitarum libidini, ut Angelos hospitio acceptos a nefandorum iniuria eriperet, nec a Scriptura corripitur, nec ab Angelis arguitur, neque graviter peccavit.

61 Etsi Lot sit ab incestu excusandus, eius tamen filiae graviter culpandae, quod et incestum, et ebrietatem procuraverint; potius nunquam esse matres, quam sic uti patre debuerunt.

62 Verba Abrahami, *vere soror mea est cet.* quae, ne interficeretur, protulit, innuunt eo tempore non licuisse matrimonia inter fratrem, et sororem.

63 & Estne mendacii, aut prostitutionis coniugalis coarguendus Abraham? absit.

Pe-

64 Peperit tandem Sara Isaac, quem etsi in gentem magnam cretuum ex Dei promisso speraret Abraham, erecta manu, gladioque evaginato ipsum iam iam immolaturus, non minus fidei, quam obedientiae illustre posteris monumentum reliquit.

65 Speluncae duplicis emptio, quam, ut habetur Geneseos cap. 23., a Filio Seor fecit Abraham, eadem est cum illa, de qua S. Stephanus Act. cap. 7. verba facit: ea igitur prorsus distincta est a parte agri, quem Geneseos 33. Iacob comparaverat.

66 Isaac ex uxore Rebecca genuit gemellos Iacob, et Esau: hic vendendo primogenita multiplici peccato innodatus, num simili labe maculatus ille emendo? minime.

67 Iacob quod matre fecit auctore, ut patrem fallere videretur, si diligenter, et fideliter attendatur, non est mendacium, sed mysterium.

68 Iacob a facie Esau fugiens, quod lapidem erexerit in titulum, quod desuper oleum fuderit, quod votum Deo voverit, culpandus multis videtur; caeterum omnes illae actiones non nisi religionem spirant, et gratitudinem erga Deum.

69 Iacob, quia bona fide, et ex ignorantia Liam pro Rachele complexus, haud corripendus, Laban vero plurium reus peccatorum.

70 Mag. P. Aug. os olim obstruxit Fausto Manicheo coarguenti Patriarcham Iacobum incontinentiae, quod nedum Liam, et Rachelem, verum Balam, et Zelpham ancillas in sinum admisserit.

71 Obsequia Iacobi fratri suo Esau praestita ad ineundam gratiam ab omni prorsus peccato eximenda.

72 Cum Iansenio, et Pererio sustinemus, ut numerus 33. praecise reperiat v. 15. c. 46. Gen., includi Iacob, et excludi debere Her, et Onan.

73 Acrior est difficultas, quae emergit ex v. 26. c. 46. Gen. et v. 27. eiusdem capituli in speciem pugnantis et invicem, et cum v. 14. c. 7. Actuum Apostolorum, ad quorum conciliationem sententiam, quam Martinus Wouters propugnat, amussim sequimur.

74 Iacobi Vaticinium benedictis filium suum Iudam, non auferetur cet. venturi Messiae epocham figit.

75 Nomine Iudae vaticinio inserti gens tota Iudaica potius, quam peculiaris persona intelligenda.

EXODUS.

76 **C**ontinet Exodus duram populi Israelitici in Aegypto servitutem, admirandam eius liberationem, per desertum peregrinationem, divinae legis promulgationem, res denique gestas per 145. annos, scilicet a morte Iosephi ad erectum Tabernaculum.

77 Mortuo Iosepho filii Israel creverunt, et quasi germinantes multiplicati sunt, tanta foecunditate, ut naturae soli attribui nequeat.

78 Misera servitus Hebraeorum in Aegypto initium habuit ante ortum Moysis, in cuius anno 80. fuit terminata, ita ut probabiliter duraverit circiter 90. annos.

79 Obstetricibus Aegyptiacis a Pharaone accersitis ut pupulos Hebraeos nascentes quoquo modo delerent, a Deo benefactum, non quod mentitae fuerint, sed quod in Dei homines misericordiam servaverint.

80 Tribus mensibus natus, ex praescripto Regis in flumen proiectus, quia

quia inde a Pharaonis filia eductus puer hebraicus, Moyses postmodum nuncupatus; e coniugio legitimo Amram, et Iochabed fuit ortus, nupiam vero ex incestu, ut posuit Calvinus, qui praeter immodestiam, ineruditionem quoque suam patefecit.

81 Irrito pariter conatu Calvinus idem in Moysis Parentes insurgit, ipsos arguens ignaviae, et ferinae immanitatis, quod puerulum in papyrione fluminis exposuerint; turpiterque consilium de structura fiscellae ridiculum vocat.

82 Vidit Moyses virum Aegyptium percutientem quemdam de Hebraeis fratribus suis, nulloque adstante, percussum Aegyptium iuste, et licite abscondit sabulo.

83 Pascebat Moyses oves soceri sui Iethro, et cum minasset gregem ad interiora deserti, apparuit ei Angelus in flamma ignis de medio rubi, qui etsi videretur ardere, namque revera non ardebat, illaesus mansit.

84 Triplici miraculo versionis virgae in colubrum, manus leprosa, et aquae sanguineae probatam voluit Deus missionem Moysis ipsi dubitanti.

85 Moyses gracilis voce, et linguae tardioris petita inde excusatione legationem ad Pharaonem detrectabat: hinc Caietanus, Abulensis, et alii ipsum peccati insimulant venialis, unde iratus Dominus.

86 Moysi revertenti in via apparuit Angelus minitans mortem, quod ipse futurus Legislator, et Dux populi praeceptum circumcisionis in filio non adimpleret.

87 Tulit Aaron virgam coram Pharaone, et servis eius, quae versa est in colubrum, proieceruntque singuli e magis, maleficisque Regis virgas suas, quae versae sunt in dracones veros, non utique fictitios.

88 Ergo ne sapientes Aegyptiaci miracula edere, aut res creare dicendi? absit a nobis tantum absurdum.

89 Verba capitis II. v. 5. *moriatur omne primogenitum*, nedum masculos, sed foeminas indignant.

90 Malis Angelis habemus, quod tribuere sine dubitatione possumus, mortes pecorum, mortes primogenitorum, et obdurationem cordis illorum, ut populum Dei nollent dimittere.

91 Paschalis Agnus ex Dei praecepto per domos, ac familias decima die primi mensis assumendus, immolandusque decima quarta sub vespere, debuit esse masculus, anniculus, immaculatus, non fractus, vel coecus, aut scabiosus, etsi variegatus.

92 Quoad immolationem illius in Aegypto peractam, nulli dubium, quin a Patribus familias, modo mundi essent, ceu a totidem Sacerdotibus fuerit peracta; qui ritus terra promissionis accepta imperturbato iure successit.

93 Hebraeos tandem a Pharaone dimissos, potentissima Aegyptiorum manus ipsos deletura insequuta fuit; sed virga Moysis divisum Mare rubrum, ut Israelitis non semicirculo, sed recta via ad oppositum littus gradientibus, viam panderet, eorum hostes postea deglutiit.

94 Si quinquagesimo die post exitum de Aegypto Lex in Sinai Israelitis fuit data, verisimilius computandi illi a decima quinta exclusive mensis Nisan.

95 Exodi 20. v. 1., et sequentibus leguntur decem illa praecepta, quae Deus de medio fumantis Sinai universo populo loquebatur: placuit Calvino ea partiri in quatuor ad Deum, et sex ad proximum pertinentia,

nos

nos vero nulla eius cavillatio a communiter tradita divisione seiunget.

96 Foederis Arca Dei iussu fabrefacta, interius, exteriusque deaurata, nihil aliud continebat, nisi duas tabulas, quas posuerat Moyses in Horeb.

97 Operiebatur, et quidem immediate Arca tabula quadam ex purissimo auro ducta, quae Propitiatorium, vel etiam Oraculum nuncupabatur.

98 Tabernaculum erat templum portatile, quod per partes dissolvi, et convassari poterat, quando castra movenda erant. Structuram illius referemus.

99 Ante Tabernaculum in medio atrii sub dio erectum fuit Altare Holocaustorum media parte cavum, sibi immissa Craticula sustinebat victimam penitus cremandam vi ignis perpetuo alendi in arula subter craticulam collocata.

100 Post enumerata roganti singulorum Sacerdotum extima, intimaque tegumenta, sustinebimus Urim, et Thummim esse ornamentum Summi Pontificis, probabilius characteres in Rationali exaratos.

101 Altare Thymiamatis, ad quod soli Pontifici Maximo patebat aditus, idem fuit, ac Thuribulum aureum, de quo agit Apostolus Heb. 9.v.4.

102 Inter Arcam, et Velum dividens Sanctum a Sancta Sanctorum positum erat Altare illud incensi, quod nunc aureum nunc deauratum Scriptura nominat.

LEVITICUS.

103 **L**evitici liber sacrificiorum qualitatem, varietatemque continet: tum de Sacerdotibus, et inferioris notae Levitis, de offerentibus sacrificium, et aliis pertractat: perstringemus praecipua.

104 Veteris Legis sacrificia licet nude inspecta Deum haud placare poterint, bona tamen, ac Deo grata fuerunt, non semota devotioe, ac interno offerentis cultu.

105 Inter omnia antiquae Legis oblata Deo sacrificia Holocaustum fuit perfectissimum conditiones ad illius oblationem requisitas recensebimus.

106 In duros scopulos impinget abs dubio, qui Mincham, seu simillam separatim oblatam verum, ac proprie dictum fuisse sacrificium inficiatur.

107 Iudaeis fuit equidem vetitum vesci adipe cadaveris morticini, eius quoque animalis, quod a bestia captum fuerat, ac laceratum.

108 Deo consecrari non debuisse animalium immundorum adipem, uti nec mundorum ad esum, quae tamen in sacrificium Deo offerre non licuit, clarissime docet S. Augustinus; ab ipso recedere nefas.

109 Eos tamen manducare potuisse omnium animalium mundorum, etiam immolabilium pinguedinem, modo illa domi suae in cibum occiderent, absque formidine sustinemus.

110 Iudaei hostias offerre debebant non tantum pro peccato contra praecepta iudicialia, ac caeremonialia per ignorantiam commisso, sed etiam pro illo, quo naturae iuri adversatur.

111 Primitias suas celebravit Aaron die octavo mensis primi, anni secundi egressionis de Aegypto, peractis septem consecrationis diebus.

112 Coelestem ignem, qui maxima Sacerdotum iuxta Legem cura fovebatur, in Aaronis victimas Deus emississe videtur; cum ad testandum toti populo V. L. Sacerdotium, istumque sacrum ritum a se institutum, ac approbatum; tum ut populo Sacerdotes erga, ac sacrificia reverentiam ingereret.

Absep-

113 Abreptis Nadab, et Abiu filii Aaron Thuribulis, posuerunt ignem, et incensum desuper; illud tamen non super Altare Thymiamatis, sed super Holocausti Altare obtulerunt.

114 Num per incensum illud oblatum, Thymiana stricte dictum intelligendum veniat, seu quod in Altari Thymiamatis offerri debebat, lis est adhuc sub iudice pendens.

115 Nadab, et Abiu; proh scelus! Dei posthabito praecepto non prunis sacris, sed alienis Thurificantes igne coelitus emisso digna meritis receperunt.

116 Puerperarum sacrificia non tantum pro matre, sed etiam pro prole oblata fuerunt: adversarii nec levem nobis suspicionem ingerunt.

117 Festum Expiationis nonnulli praecedere, et comitari debebant ritus, ac caeremoniae: Earum narrationem, descriptionemque efflagitatio.

118 Hos gregarios, infimaeque sortis fuisse necesse est, qui Caprum emissarium Doemoni in submissionis signum offerri ominentur.

119 Risum tenere vix possum, dum quosdam audio effutientes, quod ille hircus diabolo non propter se, sed ne hominibus noceret, offerretur.

120 Igitur Caper uterque, super quos sors mittebatur, vero, ac soli Deo, et pro totius populi peccatis, ritu licet longe diverso, offerri debebat.

121 Verbis illis cap. 16. v. 14. *Tollet quoque de sanguine vituli, et asperget digito septies, contra propitiatorium ad orientem*, non mundi, sed Propitiatorii pars orientalis debet intelligi: unde Pontifex in ea Sanctuarii parte, quae velum inter, et Arcam erat dorsum suum illi obvertendo, expiabat.

122 Altare, de quo eodem capite v. 18. fit mentio, non Thymiamatis, sed Holocaustorum, quod extra Tabernaculum stabat, volumus intelligi.

123 Non aeternam vitam, sed temporalem, diuturnam, et prosperam Iudaeis Moyses promittit, dum Dei iussu cap. 18. v. 5. sic eis loquitur: *Custodite leges meas, atque iudicia, quae faciens homo vivet in eis.*

123 Neque Pontifices, nec Sacerdotes adstrictos summo iure fuisse ad solas Levitarum filias in uxores ducendas disertissime profiteamur.

125 Quot Iudaeorum festa fuerint, quaeque inter illa differitas intercesserit, petenti reserabimus.

NUMERI.

126 **N**umerorum liber varias Israelitici populi enumerationes recenset: continet quoque historiam Moysis, atque Hebraeorum gesta a secundo mense anni secundi egressus eorum ex Aegypto ad undecimum usque mensem anni 40. peregrinationis in deserto. Omnia perlustrabimus.

127 Facili negotio eos obmutescere cogemus, qui in terra promissionis tantum, minime vere in deserto supra Mensam propositionis panes debere esse contendunt.

128 De variis Nazaraeorum generibus, deque caeremoniis ab eis observare adsuetis dicam ex ordine.

129 Dum Moyses cap. 11. v. 14. dixit: *Non possum solus sustinere omnem hunc populum* non excludit omne adiutorium, sed loquitur, ut solent

lent illi , quibus auxilia inferiora fere nulla videntur.

130 Moysem verba illa cap. 11. v. 21. *sexaginta millia* , et cet. *et tu dicis dabo eis escam carnis mense integro* , non diffitendo , sed modum inquirendo protulisse , adeoque non peccasse , perspicuum nobis esse videtur.

131 Milites omnes , qui cap. 1. v. 45. numerati fuerunt a viginti annis , et supra , quique , ut habetur cap. 14. v. 2. ad exploratorum reditum murmurarunt , promissionis terram non sunt ingressi : igitur excipito Iosue , et Caleb.

132 Ducenti quinquaginta viri Sacerdotium ambientes , totidemque fumigantes Thuribulis igne coelesti consumpti ; Dathan vero Abiron , et Hon , queis adiungito Core , rebellionis capita aperto terrae hiatu absorpti sunt.

133 Balaam verum fuisse ariolum , qui principis tenebrarum ope se tamquam Dei Prophetam propalabat , sentiunt quamplurimi , nec ipsis repugno.

134 Solemnem illam Balaam Prophetiam , *Orietur stella ex Jacob* , de Christo Domino intelligendam , sat bene , ni fallor , rei eventus declaravit.

135 Quo titulo Filiae Salphaad in promissionis terra suam postularint possessionem , paucis exponam.

136 Legem foeminis inhibentem ne de aliena tribu viros accipiant , de iis tantum , quae paternorum haeredes essent bonorum duximus intelligendam.

DEUTERONOMIUM.

137 **O**Mnibus viris Bellatoribus , qui Legem in monte Sinai datam audiverant , vita functis , Moyses Deuteronomium , id est , secundam Legem eorum filiis iterat , novum Deus cum ipsis foedus init , ac tandem iubet ad aeternam memoriam illud lapidibus inscribi.

138 Non solis Principibus populi , sed universis Filiis Israel Legis promulgationem repetens loquutus est Moyses.

139 Ipsum Terrae promissae ingressum postulando scelus non perpetrasse sustinent nonnulli : perbelle quidem , et apposite.

140 Licet Iudaeis praeciperetur , ut Cananaeorum gentes everterent , nonnumquam vero licitum cum eis inire coniugia.

141 Somniare mihi visi sunt , qui in V. Lege supremum revera fuisse controversiarum Iudicem , vel levissime inficiantur.

142 Cap. 17. v. 9. Iudaeis praecipitur , ut veniant ad *Sacerdotes Levitici generis* , et ad *Iudicem* , per quem facile adducor , ut credam , non saecularem Principem , sed Summum fore Sacerdotem intelligendum.

143 Ad statum Sacerdotalem iudicium , et ultima rerum decisio , non in Sacris tantum , sed in civilibus etiam causis spectabat nonnumquam.

144 Propheta , qui cap. 18. v. 15. suscitandus dicitur , ipse est Dominus Iesus Christus.

145 Deus his ad Moysem cap. 19. v. 9. verbis : *Addes tibi tres alias civitates* , illas constitutas voluit distinctas penitus ab iis , de quibus et eodem cap. v. 2. , et cap. 4. v. 43. fit mentio. Ergo novem refugii civitates scelestissimis Iudaeis Deus parare voluit ? ita profecto.

146 Uxorem fratris sui quis ducere tenebatur cum ille absque liberis vitam finierat.

147 Quo sensu cap. 29. dicatur , quod vestimenta Hebraeorum

in deserto non fuerint attrita, cui placeat, si patienter sustineat, referemus.

148 Rabbi Moyses Israelitarum antesignanum, Moyses scilicet, non clausisse extremum diem magno inanum cavillationum, ac subtilium argutiarum apparatu evincere satagebat: ast quis inane commentum aequo animo ferat? Sacrarum Scripturarum plane ieiunus.

I O S U E.

149 **I**osue sacri libri, qui illius inscribitur nomine, probabilis est auctor.

150 *Factum est post mortem Moysis servi Domini, ut loqueretur Dominus ad Iosue, surge, et transi Iordanem istum: Quam Dei ad Iosue locutionem post planctum Moysis funebrem factam fuisse arbitramur.*

151 Rahab mulierem illam, quae in domo sua Israelitarum exploratores excepit, nonnulli cauponariam fuisse volunt: nos, Magno praeunte Augustino, meretricem adseveramus.

152 Filiorum Israel nullus in Galgalis iteratam praeputii circumcisionem accepit.

152 Impius Achan, qui furto suo Divinae in Israeliticum populum indignationis causa fuerat, vitam non igne consumptus, sed lapidibus obrutus finivit.

154 Iosue foedus cum Gabaonitis, pacem ab Hebraeis omni substantia eis tamquam veris Dominis cessa ultro petentibus, ac relictis suis idolis, cultum, et fidem veri Dei amplexantibus, inire potuit.

155 Iuramentum, quo Iosue sese illis obstrinxit, tunc tantum obligare caepit, dum dolo animadverso, illud ratum voluit esse.

156 Solem in medio Coeli, Iosue iubente, stare visum fuisse, ita clare ex Sacra Scriptura deducitur, ut de eo dubitare, insanire prorsus videatur.

157 Licet probabile sit Solem mansionem fecisse dum iam inclinata erat circa vesperam dies, probabilis tamen est, hoc in meridie contigisse.

158 Civitatis Ierusalem, quae cap. 15. v. 8. in sorte Tribus Iudae numeratur, ad Tribum Benjamin septentrionalis pars cum intermedio monte Moria, in quo aedificatum est Templum, pertinebat.

159 Verba cap. 10. v. 39. quibus a Iosue dicitur capta, et expugnata Hebron, cum cap. 15. v. 13. verbis, quibus id dicitur factum a Caleb, libenter conciliabimus.

160 Veritati magis congruere videtur Othonielem fuisse aut germanum, aut uterinum fratrem Calebi.

IUDICES, ET RUTH.

161 **D**ER Iudam, quem consultus Dominus belli Ducem adsignavit, non privatum hominem, sed universam Iudae Tribum ducimus intelligendam.

162 Nuntius, quem Iudicum 2. v. 1. ad filios Israel de transgressione sua redarguendos missum legimus, non Phinees Eleazari filius, sed verus fuit Angelus.

163 Aod, dum ad Eglon Regem Moab dixit: *Verbum secretum habeo apud*

apud te, o Rex, & omni prorsus mendacio immunem extitisse ex M. P. Aug. doctrina non difficili consequutione colligimus.

164 Anni oppressionis, servitutis, quietis, et interregnorum seorsim ab his, qui Iudicibus tribuuntur, non sunt supputandi.

165 Debboram Prophetissam, cuius consilio Barac adversus Sisaram Ducem militiae Iabin Regis Chanaan feliciter dimicavit, in ordinem Iudicum numerandam agnoscimus.

166 Iahel plena fiduciae mulier, hostis tempora clavo transfigens, ne minimum quidem scelus perpetravit; peccasse tamen, sed leviter, fictis quibusdam blanditiis, ac mendaciis, nihil est, cur dubitemus.

167 Gedeon hoedum, azimosque attulit panes non in solum prandium, sed in verum, ac proprie dictum sacrificium.

168 Ipse vero plenam fidem non praestando promissis sibi per Angelum factis peccavit absdubio.

169 Iephte fuit spurius, seu nothus ex foedissimo natus adulterio.

170 Flocci faciendam ducimus Rabinorum sententiam, qui haud occisam fuisse Ducis istius filiam, sed per virginitatis votum simul cum vita finiendum Nazaraeae V. Testamenti adinstar metaphorice fuisse immolatam machinantur. Igitur verum, et reale obtulit propriae filiae Holocaustum? Ita sane.

171 Iephte in vovendo fuit stultus, et in reddendo impius; id unum pluribus in locis tradit vir summus immortalis Aquinas.

172 Samson mulierem de Philistinorum filiabus sibi in uxorem, spirante Domino, ducens legem eius non fuit transgressus.

173 Ab omni quoque vanae gloriae labe huncce Hebraeorum heroem pronuntiamus, dum cap. 15. v. 16. sic inimicos suos loquitur: *In maxilla asini, in mandibula pulli asinarum delevi eos, et percussi mille viros.* Quin, Epinicum, seu triumphale canticum, per modum gratiarum actionis Deo cecinit.

174 Ipse demum licite secum hostes ruina domus oppressit.

175 Ruth, eiusque socrus Noemi in procurando coniugio Booz nullo se crimine implicarunt.

LIBRI QUATUOR REGUM.

176 Elcana Samuelis pater ex Tribu Levi suam ducit originem.

177 Samuelis mater specialiter vovit sese eum etsi Levitam Domino daturam: nec incassum.

178 Non tantum aliqui ex posteris Heli, sed et ipse verisimilius per veram scelerum poenitentiam, ac temporales castigationes aeternam declinaverunt poenam, et salutem sunt consequuti.

179 Audaci, liberoque usus est penicillo Kemnitiis, dum Israelitarum consilium adducendi in castra Arcam pro obtinenda contra Philistiim victoria, ceu temerarium ineptissime criminatur.

180 Nec primo aetatis suae anno Saul regnare coepit, neque solo bienio regni tenuit habenas.

181 Eum tamen quadraginta annorum spatio sceptrum tenuisse nulla firma argumenta demonstrant.

182 Saul eo fuit a regno reprobatus, quod Samuelis adventum ad septimum usque completum diem non expectarit.

183 Iesse, Davidis pater non septem tantum, sed octo habuit filios.

Spi-

184 Spiritus, qui Saulem divexabat, non atrabilis, sed humor melancholicus praecisus fuit, sed Diabolus ipse.

185 Nobis probabilius apparet, Davidem absque ullo plane socio ad Achimelec adventasse, comites vero in alio habuisse loco, quibus mox propositionis panes communicavit.

186 Foedissimo scelere sese David maculasset absdubio, si Saulem in Israelitarum Regem unctum interficere ausus fuisset introeuntem Engad-di speluncam, in qua ille latitabat.

187 Non Samuelis larva, sed vera eius anima, suas adhuc Pythonissa incantationes parante, Sauli apparuit; non ergo incantatrice vi, sed Deo ita volente.

188 Fidelissimo Dei servo Davidi, si Philistaeorum Regem Achim contra Israelitas ad praelium esset committatus, cives suos aggredi minime licuisset.

189 Amalecita ad David cum armilla Regia veniens, ipsique asserens, se ad Saulis Regis preces illum gladio confodisse mendacia verba protulit.

190 Saul super gladium suum irruens, horribile suicidium commisit.

191 Non modo SS. Patrum auctoritate fulcitur, sed etiam Scriptura ipsa satis innuit Saulem aeternam damnationem non evasisse.

192 Quot annorum erat Isboeth, cum inauguratus est Rex, ac quamdiu regni moderatus est clavum, dabo roganti.

193 Tum Abner provocans ad duellum Ioab, cum iste illud acceptans peccatum peccaverunt: aliter tamen, et aliter.

194 Ozae peccatum, propter quod a Deo plaga magna percussus interiiit, in eo arbitror reponendum, quod labore deterritus suis humeris Arcam baiulandi auctor fuerit eam plaustro deferri.

195 Licet Ammonitas infensissimos Hebraeorum hostes crudelissime David tractaverit, in eo tamen ab omni criminis labe immunem fuisse pronunciamus.

196 David filio suo Salomoni iubendo Semei impunitum non relinquere, violatae fidei reus non evasit.

197 David per Ioab Principem exercitus sui iubens universum Israel numerari in superbiae, et elationis scelus ruit.

198 Salomon vir inimicis suis egregius non duodecim, sed annos circiter viginti natus regni gubernacula suscepit.

199 Quicumque eum Pharaonis Filiam in uxorem ducendo a peccato immunem negavit, nobis adversatur.

200 Illorum vota excipimus, qui tamquam probabile adserunt, quod, antequam templum esset aedificatum, licitum fuerit in excelsis vero Deo consecratis immolare, ita tamen, ut melius esset coram Sanctuario sacrificare, ubi Arca Dei posita fuerat.

201 Quamvis illorum opinio, qui Salomonem poenitentiam egisse contendunt, non contemptibilibus nitatur argumentis, placitum tamen adserentium peccatis suis immortuum fuisse, videtur solidiora habere fundamenta: Quin, si M. P. Augustino, aliisque Ecclesiae Patribus fides, ut aequum est, exhibenda, damnatus fuit.

202 Eliseus minime cum Naaman Syro dispensavit, ut licite posset Idoli Remmon adorationem simulare.

203 Adoratio Naaman non fuit vera idololatriae simulatio, sed obsequium mere politicum, adeoque a peccato omnino immunis.

204 Nulla nos ratio cohibet, ut Iehu sese idoli Baal cultorem simulando a peccato vindicemus.

PARALIPOMENON PRIMUS , ET SECUNDUS.

205 **L**ibrorum Paralipomenon auctor fuit Esdras Scribas , et Sacerdos , qui post reditum ex Babylonica captivitate , particularibus Regum Iuda Diariis , per Prophetas , et Sacerdotes Regibus coëvos , confici solitis utens , spiritu Dei actus singula compilavit.

206 Secundum Regem Edom , qui lib. 1. Par. cap. 1. Iobab appellatur , probabilius fuisse Prophetam Iob concessum volumus.

207 Cap. 3. v. 5. quatuor filii David de Bethsabeë ex coniugio cum ipso nati numerantur , quos inter nativitatis ordine Salomonem primogenitum fuisse propugnabimus.

208 David aquam de Cisterna Bethleëm appetendo peccatum veniale saltim admisit.

209 Licet aliqui plausibiliter sustineant Salomonis somnium , in quo Deus ipsi apparuit , fuisse naturalem , nobis tamen magis arridet illorum opinio , qui propheticum , seu extaticum fuisse arbitrantur.

210 Mactavit Rex Salomon hostias bovum viginti duo millia , arietum centum viginti millia in templi dedicatione , quae successive oblatae sunt toto consecrationis tempore recurrente.

211 Hiram viginti a Salomone urbes accepit , tradidit quoque ille isti aliquas Hebraeorum regno conterminas.

212 Nec Syriam occupando , nec in ea Civitates moenibus cinctas aedificando scelus perpetravit Salomon.

213 Quod cap. 11. v. 1. lib. 2. de Roboam dicitur : *Convocavit universam domum cet.* non sic accipiendum est , quasi omnes ad unum regni sui bellatores congregarit.

214 Asa Abiae filius , eiusque in regno sucesor idolorum excelsa proculdubio evertit.

215 Nec debuit ipse , nec potuit matrem Maächam occidere , etiamsi idolorum cultrix dicatur : imo ipsi alios idololatrias interficere vetitum.

216 Nullus a peccati crimine excusare valet Asam , eo quod in sui auxilium Syriae Regem advocarit.

217 Nulla omnino ratione adduci possum , ut credam Asam aeternae damnationis ignem non evasisse.

218 Impiissimo Achaz pientissimus filius eius Ezechias anno aetatis suae vigesimo quinto successit.

219 Quotquot recte sapiunt , Ezechiam merito comparari Davidi , amplectentur.

ESDRAE PRIMUS , ET SECUNDUS.

220 **D**ura Hebraeorum sub Babyloniis servitus septuaginta dumtaxat annos perduravit : Illorum supputatio ab anno decimo tertio regni Iosiae incohanda non est.

221 Igitur anni illi initium habuere anno quarto Ioakim , finem vero anno primo Cyri Regis Persarum , qui cum Dario Medo occiso Balthasare , evertit Imperium Babyloniorum.

222 De foedere , quod cap. 10. v. 3. cum Deo iniit Sechenias uxores alienigenas , et eos , qui ex illis nati sunt , proiiciendi , audies me loquentem.

223 Celeberrimam Danielis de 70. hebdomadibus Prophetiam de Chris-

to Domino Salvatore nostro prolatam fuisse rem arbitror certissimam, et a nullo nisi lymphatica mente insaniente abnegandam.

224 A quo anno illarum initium sit desumendum implicata adeo res, ut veterum Scriptorum ab ipsis Ecclesiae incunabulis vehementer torsit, et tantum non oppressit ingenia; illorum opinio qui exordium ab Edicto Cyri Regis Persarum, aut Darii Hystaspis desumendum putant, ne-
tquam valet sustineri.

225 Haec prae caeteris nobis arridet sententia, qua ab anno vigesimo potiusquam a septimo Artaxerxis Longimani computandas adseritur.

226 Ne tamen ex hoc Theologorum dissidio Iudaeorum causam sublevari vel levissime dubitetur, firmiter dicimus, fidenterque pronunciamus hebdomadas illas iam dudum elapsas esse, undecumque illarum exordium desumatur.

TOBIAS, IUDITH, ET ESTHER.

227 Licet nonnulli quondam Catholici de libri Tobiae divinitate dubitarint, nunc tamen, utpote ab Ecclesia inter libros sacros, ac canonicos receptus, nefas.

228 Ea, quae cap. 5. v. 7. de Archangelo Raphaële narrantur, ipsum mendacii artificem non exhibent, sed in veraci ac proprio sensu valent explicari.

229 Liber Iudith inter canonicas Scripturas referendus est, et numerandus. Petrus Bayle historiam hancce fabulam sibi sapere cum impietate coniunctam effutiens reprehensionem omnem sibi merito cumulavit.

230 Sancte, et iuste potuit Iudith orare: *Capiatur laqueo oculorum suorum in me.* Peccavitne saltim Holofernis exercitum adeundo? Apage.

231 Nec tamen in omnibus, quae in Holofernis exercitu dixit, et fecit, excusatam a mendacio volumus.

232 Iudithae Vagao precibus obtemperanti licitum, ac permissum fuit se coram Holoferne sistere.

233 Mirandam hancce historiam nequam ante Babylonicam captivitatem sub Manasse Rege Iuda, sed illa soluta contigisse dicendum.

234 Sub quo autem Rege, summum gravissimis Sacrae Scriprurae Interpretibus facessit negotium, amplamque suppeditat disputandi materiam; verisimilius tamen nobis videtur illam non sub Cyro, aut Cambyse, sed sub Xerxe Rege Persarum filio Darii Hystaspis, et Artaxerxis Patre evenisse.

235 Historiam Esther commentitiam, ac plane fictitiam esse Anabaptistae, et Lutherani effutiunt, sed impudentissimis hominibus, nulla est opinandi meta.

236 Septem libri Esther Capita postrema Sixtus Senensis, Grotius, et alii ceu adiectitia, et apocrypha reiiciunt immerito.

237 Eo Amano Mardocheus adorationem negavit, quod divinam, seu patriae exigebat homo ille inter mortales superbissimus.

238 Historia Esther non contigit ante solutam captivitatem Babylonicam sub Dario Medo, aut Patre eius, neque post illam laxatam sub Cambyse, Xerxe Darii Hystaspis Filio, Artaxerxe Longimano, Mnemone, Ocho.

239 Igitur fuit Assuerus Darius Hystaspis Xerxis Pater, qui animi et corporis dotibus pulchram hanc inter mulieres sibi in matrimonium copulavit: en historiae epocha praefixa.

DE

DE ALIIS VETERIS TESTAMENTI LIBRIS.

240 **L**ibrum Iob protocanonicum esse indubitata res est, et certissima.

241 Fabulam, et argumentum scenicum hocce libro contineri perfidi effutiunt Talmudistae; certa tamen fide tenendum veram historiam contineri.

242 Quisnam sit auctor Psalmorum libri non adeo in propatulo est: partem maximam Psaltes Regius David sibi vindicare videtur.

243 Salomonis Proverbia iure, meritoque inter canonicas scripturas recepit Sancta M. Ecc.

244 Regem hunc prae caeteris sapientem istius libri auctorem esse, ita nobis persuasum est, ut nihil supra valeat excogitari.

245 Ecclesiastes Sacer est liber, eumque sapientia coelitus emissa scripsit Salomon.

246 Cantica Canticorum, Sapientia et Ecclesiasticus sacri sunt, et canonici libri: huius auctor Iesus fuit Sirac Filius.

247 Eos probris sibilisque excipimus, qui librum Baruc, et Ieremiae Epistolam ex sacrarum litterarum catalogo expungendam nobis obtrudunt.

248 Historiae Susannae, et aliorum, quae Danielis additamenta vulgo vocitantur, divina est, et irrefragabilis auctoritas.

249 Machabaeorum libri ad canonem Sacrarum scripturarum certissime pertinent, licet quondam a nonnullis Ecclesiis inter illas non essent excepti.

250 Herodes etsi Religione Iudaeus, genere tamen fuit alienigena.

NOVUM IESU CHRISTI TESTAMENTUM.

1 **F**abulantur profecto, qui Zachariam Praecursoris Patrem summi Pontificis dignitate functum fuisse arbitrantur: in suae tamen familiae ordine Sacerdotii primas obtinuisse probabilius existimo.

2 Zachariae preces, de quibus Angelus Luc. 1. dixit: *Quoniam exaudita est deprecatio tua*, dicendae non sunt oratio, qua filium sibi nasciturum postulabat; sed fuerunt deprecatio pro totius populi salute.

3 Dum nuntium audiret filium, qui Ioannes sit nuncupandus ipsi ex uxore Elisabeth nasciturum, incredulus fuit, in quo ab omni culpa aegre valet excusari.

4 Eousque Salvatoris nostri erga peccatores miseratio protenditur, ut nondum in lucem editus cognatum suum Ioannem in utero Elisabeth ad illius praesentiam exultantem ab omni originis labe mundare dignaretur.

5 Christo iam dudum praenuntiato, iamque proxime orituro, Matrem eo dignam seligere necesse fuit; illius Parentes sub Annae, et Ioachim nomibus adpellantur, haec propria esse eorum nomina mihi omnino indubium, certumque.

6 Nulla fruitur certitudine piorum Parentum sterilitas concepto voto, ac singulari portento depulsa, ut efoeta prorsus aetate Mariam gignerent.

7 Dubium perinde, incertumque omnino est Mariam trimulam in templum, quod ita Parentes eius ante vovissent, fuisse allatam, Deoque dicatam, illic annos undecim egisse, Levitarum, ac Sacerdotum curae,

ac

ac disciplinae commissam, donec Iosepho nuptui tradatur.

8 Ergo Virginis Praesentationem ab Ecclesia XXI Novemb. celebrari solitam improbamus? Absit: probamus longe maxime, colimus, celebramus, imo ipsam revera in templo fuisse praesentatam (semotis fabellis, ac praeiudiciis) incunctanter adserimus.

9 Beata V. M. absque aliquo carnali concubitu Dei Filium concepit: En prostratum Cerinthum: ipsum sine ulla sui corruptione in lucem edidit: En profligatus Iovinianus.

10 Opinatur Elvidius Deiparam nato iam mundi Redemptore a Iosepho cognitam filios alios procreasse, quos ideo Fratres Domini Evangelista Sacer adpellat; Vah obscenam, impuramque linguam!

11 B. V. M. virginitatis votum emittit absdubio: clament tantum quantum velint teterrima hominum monstra vaferrimi Calvinistae.

12 Num vero hocce virginitatis votum conditionate prius, dehinc absolute emisserit, res spinis plena est, in qua discrepare, et quasi data opera sese mutuo intestina conflictatione severioris notae Critici collidere videntur; mihi rem totam sedulo inspicienti, ea sententia magis arrisit, quae virginitatem suam absolute tantum consecrasse pronunciat.

13 Haud defuere nugaces quidam, et perditissimi homines, qui verum Mariam inter et Ioseph initum matrimonium ausu temerario negarunt; sed ii satis, superque sacris litteris confutantur.

14 Vera nobis videtur sententia, quae tenet Mariam matrimonio Iosepho iunctam iam fuisse dum Angelicam audire meruit salutationem.

15 Veritatis semitas penitus deserere videntur, qui Iosephum ante coniugium cum B. V. M. viduum fuisse, non coelibem, et virginem arbitrantur.

16 Pictores in effingenda Mariae Iosepho nubentis imagine utrumque aetate valde dispari nobis adumbrant: Mariam quidem tenellam annos vix quatuordecim adsequutam: Iosephum vero devexa iam aetate octogesimum annum attingentem ostendunt: ast nos nec Deiparam ita puellam, nec eius sponsum tam vietum adfirmamus.

17 Angelus Gabriel sub specie humana in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth ad Mariam missus supremae Hierarchiae non fuit, sed infimae, primus ex secundo ordine, qui est Archangelorum.

18 Ex quo timore B. M. V. turbatio, quam ut excuteret, dixit Angelus: *Ne timeas Maria*, orta fuerit, audies in arena.

19 Nondum erat conceptus Deus homo sub Angelicae salutationis initium, dum ea simpliciter verba protulit Angelus: *Ave gratia plena*; sed ad colloquii clausulam dum suum paritura Virgo hisce verbis praebuit consensum: *Fiat mihi secundum verbum tuum*.

20 B. M. V. peregrinationem in Iudaeae montana suscepisse, ut dictorum ab Angelo veritatem exploraret, aut certior de ea fieret, nonnulli censuerunt: stultiorem hac opinionem legi nullam.

21 Mansit ipsa apud Elisabeth quasi mensibus tribus: igitur Praecursoris nativitati interfuit? Id et nos probabilius adserimus.

22 Ut nos a Doemonis eriperet captivitate, sub qua primi hominis peccato detinebamur, Unigenitus Dei Filius secundum carnem in tempore ex semine David dignatus est nasci: Ergo conticescant Celsus, Iulianus apostata, Faustus Manichaeus, eiusdemque furfuris nebulones quamplurimi.

23 Christi genealogiam recensentes Mathaeum, et Lucam Evangelistas pugnancia sibi fuisse loquutos iam pridem obiecere Manichaei; at nul-

nulla inter illos advenitur discrepantia, si Iosephum natura quidem filium Iacob, lege autem Heli fuisse statuamus.

24 Isaiæ Vaticinium cap. 7. v. 4. scilicet: *Ecce Virgo concipiet*, et cet. de sola B. V. M. eiusque filio Iesu intelligendum venit; ideoque Mathæus cap. 1. v. 23. recte citat illius Prophetiam.

25 Bethleëmi in spelunca diversorio coniuncta brutis animantibus destinata in hanc exterminii terram prosilivit Redemptor.

26 Christum natum esse anno Iuliano 43. aut sequentibus sustineri haudquaquam valet; imo nec commode dici potest ipsum anno 42. sub Coeli auras emissum fuisse.

27 Igitur Servator noster in terris apparere dignatus ex materna alvo exiit anno Iuliano 41. Caesaris Augusti 40. Regni Herodis 36.

28 Pictores, qui bovem, et asinum ad Christi praesepe adligatos penicillo adumbrant, acrius criminantur nonnulli: mirari tamen mihi contingit, quod antiquam Ecclesiae traditionem communi fidelium sensu receptam ipsi tamquam fabellam reiiciant, spernantque.

29 Salvatorem nostrum VIII. Kalendas Ianuarias fuisse natum universa fatetur Ecclesia, et Latina, et Graeca ex constanti maiorum accepta traditione, quae merito retinetur.

30 Tamquam indubitatum, manifestumque supponere debemus Christum, etsi Circumcisionis lege non esset obstrictus, haud incircumcisum remansisse.

31 Non in Templo, aut in Synagoga, sed in spelunca Bethleëmitica, seu in vicina domo peracta fuit Christi Domini circumcisio.

32 Non a Pontifice, aut Sacerdote, sed a Parentum alterutro pelliculam abscissam fuisse reputamus.

33 Licet non certo constet ubinam sacrum Christi praeputium reperiatur, illud tamen in terris esse relictum ad piam fidelium venerationem mihi semper persuasum.

34 Stella illa, quam Magi sequentes praeviam in Bethleëmiticum antrum venere, ex elementari aliqua materia fuit miraculose efformata.

35 Illis adsentiri non valeo, qui Magos Christum adoraturos non nisi biennio post eius Nativitatem Ierosolymam, subindeque Bethleëm adventasse, testantur: ipsi enim Ianuarii sexta, prout ab Ecclesia canitur, advenere.

36 Reges illos fuisse, quod plerique putant, perfracte nego, quamquam eos Toparchas dicere non verebor.

37 Elapso proxime saeculo opusculum editum fuit, quo probare conatur Auctor, Magos Christi adoratores Eliam, Enochum, Melchisedechumque fuisse. Fabellam hanc cui venditet, quaerat.

38 Adorarunt Magi Puerum Iesum religioso, et latriae cultu, non civili dumtaxat, et politico.

39 Haec Luc. cap. 2. verba, *postquam impleti sunt dies purgationis eius*, licet ab aliquibus ad solam Virginis purificationem referantur, de Christi, et Mariae purgatione intelligenda esse, indubitanter pronunciamus.

40 Communis SS. Patrum sententia est, a qua nec centum bouum iugis potero divelli, B. V. M. puerperii lege haud fuisse obstrictam.

41 Tametsi Christus Dominus a lege de offerendis, dicandisque Deo primogenitis solutus omnino esset, eam tamen voluit observare.

42 Simeon ille annosus, senex, ac Spiritu Sancto plenus, qui Iesum in ulnas excepit, dum eum Parentes eius inducerent in Templum, non Sa-

cerdos, non Pontifex, sed vir laicus erat: vide hinc quantum a vero aberrant Pictores.

43 Ut sanguinariam Herodis manum subterfugeret Iesus, admonitus ab Angelo in somniis Ioseph una cum Matre, et Filio ex Nazareth in Aegyptum diffugit.

44 Arborem fuisse incurvatam, falsorumque Numinum simulacra Christo adventante, subito corruisse perhibetur: quae quidem portenta Ethnicorum oculis miranda certe, licet ut omnino vera non adseram, ut commenta tamen non reiicio, sed ut probabilia facta sustinebo.

45 Ad obitum usque Herodis ibi manserunt Sacri Parentes, et Filius: Ergo non septem, nec quinque annis Aegyptum habitarunt, sed uno nondum integro.

46 Paucis post purificationem diebus a Magis se illum sentiens Herodes puerulos omnes a bimatu, et infra in Bethleem, eiusque confinibus trucidari iussit.

47 Quamquam magnum puerorum occisorum fuisse numerum non negaverim, credere tamen non possum quatuordecim millia, et amplius herodiano gladio cecidisse.

48 In hac numquam satis execranda puerorum caede filius Herodis bimulus haud fuit internecatus.

49 Pueros Bethleemicos Herodis iussu vita privatos verum pro Christo Domino subiisse martyrium, extra omnem disputationis aleam positum iudicamus.

50 Verbis illis, *quid est quod me quaerebatis*, quae Puer Iesus triduo a Parentibus quaesitus, et in templo sedens inventus protulit, reprehensionem contineri, qui autumant, fallunt certe nos, et falluntur.

51 Salvator noster Iesus anno plus, minusve vitae suae trigesimo a Ioanne fuit sacro Baptismate tinctus.

52 In Iordane prope Bethaniam, quae alio nomine dicebatur Bethabara ablui voluit Iesus.

53 Satis Pictoribus illis indignari non possum, qui Christum simul Baptisma suscipientem, Coelum apertum, illabentem Spiritum Sanctum, Patrem demum Christo testimonium perhibentem nobis obumbrant, quasi uno, eodemque tempore peracta sint omnia. Equidem peracto Baptismate, Christoque ex aquis emerso, prodigia ista contigisse sacrae litterae tradunt.

54 Mirabilia tamen haec manu Dei perpetrata utpote omnibus conspicua ab adstantibus visa sunt, voxque intellecta.

55 Sunt, qui, Doctoris Angelici opinione posthabita columbam illam super Christi caput descendentem verum animal haud fuisse arbitrantur; nos a tanti Doctoris sententia divelli inglorium putamus.

56 Absit, ut, qui Christum specie non excellenter liberali, vultuque haud insigniter venusto, egregio, et eleganti fuisse dicimus, turpi atque deformi fuisse propterea contendamus; pulchritudinis enim mediocritatem adscriptam illi volumus, quae spectantium oculos sola nec raperet, nec offenderet.

57 Divinae virtuti, ingentique portento Patres adscribunt, quod totos illos quadragenos dies sine cibo, et potu Christus in deserto transegerit.

58 Peractis quadraginta in deserto diebus, postquam Christus Dominus esuriit, accessit ad eum tentator: igitur tres visibiles tentationes non nisi post esuriem evenere.

Num

59 Num Diabolus Christum supra templi pinnaculum deportarit , an duxerit tantum , res ambigua est , et incerta ; ego vero , occasione abrepta , utriusque sententiae referam fundamenta.

60 Christus Dominus pauperem vitam duxit , quin tamen mendicitatem exercuerit continuo.

61 Fama miraculorum Christi in Syriam resonante scripsisse fertur Abgarum Edessae Regulum epistolam quandam ad Iesum Nazarenum , ab eoque alteram mutuo accepisse. Circa harum epistolarum authenticitatem scriptores inter se video digladiari ; ego vero ab illorum partibus standum iudicavi , qui uti spurias reiiciunt , contemnuntque.

62 Christi Domini transfigurationem in eo positam fuisse arbitramur , quod manente omnino immutata corporis , facieique substantia , et figura splendorem clarissimum solis adinstar emisserit.

63 Priusquam Iesus pateretur , cum Discipulis suis legale Pascha manducavit.

64 Firmissimis nobis persuasum argumentis Christum Dominum Paschatis celebrationem nequaquam avertisse , sed eadem die ac Iudaeos celebrasse , luna nempe XIV. exeunte.

65 Mitissimus Servator noster scelestum proditorem Iudam corporis , et sanguinis sui sub speciebus panis , et vini participem fecit.

66 Mensae illius , in qua Angelorum panem saepenumero manducant homines , si Hieronymo fides , Iesum quoque convivam fuisse arbitramur.

67 Triginta argenteos , quibus Iudas Magistrum suum Iudaeorum Senatui tradidit , tam vile fuisse praetium , ut vix eo calceamentum possit emi , falsum reputamus.

68 Flagellationem Christo Domino Pilatus inflixit , non uti delicto debitam , sed ad Iudaeorum livorem satiandum.

69 Hinc intelligere facile est , veri speciem non habere , quod scriptores nonnulli sibi quasi per visum adserunt patefactum , verberationem nempe flagris quinquies mille , centum , et quindecim fuisse perfectam ; licet mihi plane persuasum sit Iudaicas leges admodum haud fuisse servatas.

70 Post immanissimum verberum tormentum piissimus noster Iesus a militibus coronatur ad ludibrium augendum , risumque concitandum spino diademate non e marinis iuncis plexo , sed ex sentibus rhamni aut rubi.

71 Prolata a Pilato in Iesum mortis sententia milites hominem quemdam Simonem Cyrineum angariaverunt , non ut una cum Christo salutiferum lignum baiularet ; sed ut solus onustus illo , Christum liberum sequeretur.

72 Christi Crucem habuisse litterae T figuram , cui postmodum adiectus titulus in tabella , quartam ostenderit extremitatem , probabiliter iudicamus.

73 Christus cruci non tribus , sed quatuor affixus fuit clavis.

74 Inter duos latrones medius cruci suffixus fuit Christus , quorum unum blasphemasse , altero increpante , et Christi partes suscipiente , mihi omnino persuasum est.

75 Passionis Christi ministros , tam in flagellatione , quam in confixione Italiae populos Brutios nunc Calabros fuisse huiusce nostrae aetatis critici nonnulli pro aris , et focis sustinent ; verum opinio haec nullo , quod fidem facere possit , fundamine fulcitur.

76 Unde monti huic , in quo passus , et suffixus est Christus , Calvariae nomen , in arena.

Ap-

77 Apparenter Marcus , et Ioannes Evangelistae circa horam Dominicae crucifixionis discrepant , sed reipsa consentiunt.

78 Tenebrae , quae Christo adhuc in cruce patiente a meridie ad horam inde tertiam contigere , num per veram solis ecclipsim , an per miraculosam radiorum subtractionem acciderint , problema esto.

79 De scissione veli , motu terrae , et voce illa , quam Eusebius prope insulas Echinadas auditam narrat , scilicet *Magnum Pana esse mortuum* , me disserentem audies.

80 Beatissimam Christi animam eo mortis triduo , quo sacrum corpus sepulchro conditum fuit , ad inferos realiter descendisse , certa , ac indubitata fides mihi est.

81 Cave tamen intelligas ad damnatorum inferos descendisse , et eos vinclis exemisse.

82 Pueri , qui originali culpa inquinati ad inferos descenderant , non fuerunt a Christo suo ad inferiores partes illapsu liberati.

83 Christum ad inferos descendentem omnes Sanctos Patres ibi detentos liberasse , primo quidem claram divinitatis visionem statim a morte sua exhibendo , dein vero etiam ex inferni loco eos educendo , quotquot inter cordatos viros reputari desiderent , adseverabunt.

84 Non omnes tamen animas in purgatorio detentas per se loquendo ipse liberavit , sed eas dumtaxat , quas plene purgatas adinvenit ; adversariorum argumenta uno S. Thomae ictu convelluntur.

85 Omnes ad unum fidelium animas ibi detentas ex speciali privilegio purgatorii iugo fuisse ereptas improbabile haud reputamus.

86 Non possum quin refellam sententiam , Christi Domini resurrectionem ultra diem procrastinantium Dominicam.

87 Christo Domino resurgente multa corpora Sanctorum , qui dormierant , resurrexerunt , apparueruntque multis : hos iterum mortuos esse , et ad sepulchra rediisse , resurrectionem corporum generalem spectantes , probabiliter sustinemus.

88 Servator noster primus omnium perfecta resurrectione surrexit ; ipse enim resurgendo ad vitam penitus immortalem primo pervenit.

89 Iesu Nazareni corpus dotibus corporis gloriosi quatuor ornatum resurrexit.

90 B. V. M. sicut maiori prae caeteris gloria ex visione divina potitur , sic ita primam filium in gloria resurgentem vidisse pie , probabiliterque iudicamus.

91 Nonnullae fuerunt Christi post resurrectionem apparitiones , quas aperire non renuam sciscitanti.

92 Christus in Coelos elatus est ex petroso montis Oliveti cacumine , ibique impressa plantarum suarum vestigia manserunt.

93 Illapsum Spiritus Sancti super Apostolos die ipsa Pentecostes contigisse Lucas Evangelista testatur : atque de Iudaica Pentecoste intelligendum volumus.

64 Donum linguarum die Pentecostes sic fuit Apostolis collatum , ut peregrinas linguas callerent , easdemque revera loquerentur , ac una quandoque loquentes a variis populis intelligerentur.

95 Virginem Dei facti hominis Genitricem ex hac luce morte non opetita in coelestem patriam translata adseverant nonnulli : sed quo fundamento prorsus ignoro.

96 Non defuere mediae aetatis scriptores , qui ex illis Lucae verbis:

et

et tunc ipsius animam pertransibit gladius praepostere intellectis B. V. M. gladio transfixam martyrium subiisse existimarint : verum purum est , putumque commentum.

97 Ephesine , an Ierosolymis fato sit functa Deipara Virgo , curiosum quaesitum est , quod multorum torquet ingenia : ego vero utriusque sententiae fundamenta proponam , cum certo aliquid definire non audeam.

98 Virginem non animo tantum , verum etiam corpore in coelos fuisse adsumptam pie , ac religiose tenendum est , nec nisi ingenti temeritate negari iam potest.

99 Quod de muliere adultera narrat Evangelista Ioannes canonicum totum est ; nusquam vero a Papia illius discipulo introductum.

100 Divitis Epulonis a Luca inducta narratio vera est historia , non parabola.

101 Paulum vas illud electionis in tertium Coelum esse raptum Apostolus ipse testatur ; idque non secundum corpus , sed secundum animam dumtaxat accidisse puto.

102 Haereticum est Epistolam ad Hebraeos inter canonicas non reponere : iam enim de illa non licet dubitare.

103 Apostolum huius epistolae fuisse auctorem non est cur adserere renuam.

104 De Epistola Iacobi aliquando fuit dubitatum ; nunc autem eam inter canonicas non referre haereticum iudicato.

105 Quemadmodum certum est secundum Petri Epistolam canonicam esse , ita pariter manifestum , auctorem eiusdem esse Apostolum ipsum , cuius nomen gerit in salutatione.

106 Vers. 7. cap. 5. epist. 1. Ioannis *tres sunt qui testimonium* , et ceterum germanus est , non adiectitius , aut Catholicorum fraude in sacrum textum intrusus.

107 Illius textus irrefragabilem auctoritatem plurimi Ecclesiae Patres agnovere ; eiusque supposita canonicitate , patens est trium Divinarum Personarum distinctio.

108 Minime licet secundam , et tertiam Ioannis Epistolam a canonicis eripere ; nec Ioannis Presbyteri , sed Apostoli sunt.

109 Dubitatum quoque aliquando de Epistola Iudae legimus ; nunc autem nefas.

110 Inter antiquos haereticos Cerdon , inter novos vero Lutherus , Brentius , et Kemnitijs Apocalypsim reiecere. Nos autem solido fundamento innixi tenemus illam esse canonicam.

111 Huius libri auctor ipse est Evangelista Ioannes , qui eum in insula Patmos conscripsit.

112 Quis sine stomacho audiat Ioannem Evangelistam , qui supra pectus Domini in coena recubuit , caeterosque Apostolos , ac Discipulos eius in sepulchro dormire , haud tamen mortuos esse ? Audiet profecto nullus.

HISTORIA ECCLESIASTICA.

PRIMUM ECCLESIAE SAECULUM.

I Iri omnes docti consentiunt , rudes omnino Teologos illos esse , in quorum lucubrationibus historia muta est. De eius utilitate , ac necessitate iam alibi dictum memini ; nec rursus in silvam ferenda sunt ligna.

Z

A

A Petro ergo eam incipiamus oportet, qui, clament licet Novatores, Caput visibile Ecclesiae fuit a Christo Domino constitutus, et supra reliquos Apostolos iurisdictionis obtinuit principatum.

2 Sentiant, quidquid velint, Calvinistae nonnulli, nos toto pectore, animoque sustinemus Apostolorum Principem Petrum secundo Claudii anno Romam versus divina deductum providentia.

3 Atqui ibi sedem fixit suam, quam ad obitum usque rexit, nimirum usque ad quartum decimum Neronis annum, quo martyrii palmam adeptus est.

4 In eorum lubenter descendo sententiam, qui Petro Apostolo in Antiochena sede Evodium proxime succesisse testantur.

5 2 Ast quinam, et quo ordine ei in Romanae Ecclesiae administratione successere? Difficultas sane est, quam ut dissolvant auctores in varias abeunt sententias; ea autem mihi prae caeteris placet, quae Petro Linum, Lino Cletum, Cleto Clementem succesisse fatetur.

6 Etsi is ego non sim, qui omnia in Sybillinis libris contenta genuina propugnare velim; ea tamen oracula nihil nisi Christianorum esse figmenta demonstrare mihi poterit nullus.

7 Splendidissimum Flavii Iosephi de Christo Iesu testimonium genuinum omnino, atque indubitatum existimamus, nec pia, ut aliqui volunt, Christianorum fraude illius libris assutum.

8 Praeter tria Hierosolymitana Concilia in dubium vertitur, num Apostoli in unum convenerint, ut symbolum ederent, quod dicitur Apostolorum. Qualiter sese res habuerit, ipsos illius auctores fuisse, nequit absque temeritatis nota negari.

9 Non ita sentire audeo de canonibus, qui sub Apostolorum nomine circumferuntur; nihilo tamen minus primis Ecclesiae saeculis obtinuisse aliquos explorata res est.

10 Constitutiones Apostolicae vulgo dictae, et octo libris sub Clementis nomine vulgatae genuini non sunt sive istius, sive illorum foetus.

11 Perperam Turrianus canones novem Antiocheno cuidam Apostolorum Concilio adscribit, eos enim apochryphos reputamus.

DE HAERESIBUS PP.

12 : **N**ULLA totius Theologiae pars nostris vigiliis dignior haeresum cognitione, hac nostra praesertim tempestate, qua turbulenti homines immani quadam novitatum prurigine furentes, divina quaeque adgredi non dubitant, religionem eis debitam inani conatu excutere tentantes. Quia tamen illarum quamplurima orta ab orco monstra hinc, et inde iam manent suffosa, execranda reliqua suo quolibet saeculo indigitemus oportet; quae omnia mira Angelici Praeceptoris doctrina, et Scripturae Sacrae auctoritate oppugnare, ac singulis quibusque oppositum dogma catholicum propugnare adpromittimus. En specimen.

13 Erupit in apertam aciem primus Simon Magus falso dogmatizans omnem salutis spem in eo reponendam.

14 Donum Dei posse pecunia comparari.

15 Mundum a septem Angelis conditum esse.

16 Menander Patria Samaritanus, dignus professione, doctrina, moribus, Simone Magistro Discipulus, Antiochiae hoc sparsit dogma execrandum: perpetuam in hac vita immunitatem a morte, et a senio dandam

dam esse illis , qui tincti essent lavacro Baptismatis a se collati.

17 Saturninus Menandrum sectatus est , et in Syria erroris scholam aperuit effutiens nubere , et generare , seu matrimoniales actus a Doemone provenire.

18 Basilides Menandri auditor ultra se extendens , Christum cruci suffixum non fuisse , sed Simonem Cyrenaeum , qui angariatus crucem Domini sustulit.

19 Nicolaitae inter mortales scelestissimi cum essent in omnem effusi libidinem , promiscuum foeminarum usum ceu licitum proponere non erubuerunt.

20 Cerinthus , cui Ioannes Evangelista frequenter in faciem restitit , in Asiam profectus virulentam ibi doctrinam profudit , venditans legalia simul cum Lege nova esse observanda , ut salutem aeternam quisque consequi valeret.

SECUNDUM ECCLESIAE SAECULUM.

1 **C**ontroversia orta est inter Anicetum Romanum Pontificem , et Sanctum Polycarpum Smyrnensem Episcopum , quem Anicetus suadere non potuit , ut morem Asiaticarum Ecclesiarum luna XIV. cum Iudaeis Pascha celebrantium abiiceret ; nullum tamen inter ipsos propterea dissidium fuit.

2 Agitata haec inter Asiaticos , aliasque Ecclesias de legitimo celebrandi Paschatis tempore quaestio Disciplinam solummodo spectabat.

3 Victorem Romanum Antistitem in votis habuisse excommunicare Asiae Episcopos luna XIV. Pascha pertinaciter celebrantes non dubito , hanc tamen voluntatem executioni fuisse mandatam non credo.

4 Illorum semper vestigia premam , qui tuentur Antonino Pio imperante Marcionem impiissimum nefaria sua dogmata disseminare coepisse.

5 Sanctissimus Praesul Marcionis Pater ipsum eiecit ab Ecclesia , quin tamen ille ad Romanum adpellaret Pontificem.

6 Circa Trinitatis Mysterium a veritate minime deviarunt Montanus , et Montanistae puri.

7 Plurimum Christi Ecclesiam hoc saeculo illustravit Sanctus Martyr Iustinus , cui inter alia Sandius impingit , aeterni Verbi Divinitatem negasse. Ast hunc errorem in S. M. haud invenies , sive duplicem illius apologiam consulas , sive habitum cum Tryphone dialogum.

8 Fertur Deo corpus tribuisse Tertullianum : sed acutissimum Scriptorem in solido Antropomorphitarum errore non fuisse versatum , vel illum , si revera docuit , tandem eiurasse , probabiliter sustinemus.

9 Lacertis totis propugnamus , anilibus fabulis adnumerandum esse illud Chiliastarum Regnum e Cerinthi cerebro natum , et a Papia licet tolerabilius inductum.

10 Nec maiori nititur certitudine , quod de liberatione Traiani ab inferis precibus S. Gregorii M. tradit Ioannes Diaconus in vita eiusdem Gregorii.

11 Quadragesimale ieiunium a primitivis Christianis summa asservatum religione , non a Salvatore Iesu , sed ab Apostolis sumpsit initium.

12 Illorum certe adhaereo opinioni , qui tenent ieiunium ante Pascha observatum , semper quadragesimale , hoc est , quadraginta circiter fuisse dierum.

Pro-

13 Probabile quidem est quatuor temporum ieiunia Apostolos habuisse auctores.

ERRORES SAECULI SECUNDI.

14 ^{7 7}_{2 2} Orrenda Helceseitarum blasphemia est, quam vel referre pudet, Spiritum Sanctum sexu esse foeminam, et Christi sororem, utrosque mole corporea grandi valde perfruentes.

15 Gnostici rupto omni vel umbraticae honestatis repagulo quamcumque obscoenitatem licitam traducebant.

16 Martyrium non esse sanctum, seu actum virtutis. Eheu quot homines hoc perverso dogmate a martyrio non arcuerunt!

17 Prodicus e Gnosticorum schola infamem Adamitarum sectam, ne quid carnis spurcitiae deesset, instituit, et, ut doctrina a factis non degeneraret, Protoparentis nuditatem in statu innocentiae imitandam esse propalavit.

18 Antitactarum e Gnosticorum colluviè prodeuntium quoque hic circumfertur error: Peccatum non est supplicio, sed praemio dignum.

19 Dirissima ex Ponto afflata pestis Marcion vehementer afflixit Ecclesiam, multosque pervertit hoc sparso dogmate: Lex vetus fuit mala.

20 Apelles Marcionis discipulus, a Virgine quadam Philumene revelationes, et miracula fabricante deceptus, Prophetias esse falsas confixit.

21 Cainani contendentes, ac propalantes Cainum a potentiori quadam virtute esse derivatum, necnon Core, Dathan, Abiron, Sodomitas, Iudam tandem Iscariotem, impios hosce omnes, ac reprobos divino honore colebant.

22 Tatianus, a quo Encratitarum secta nomen accepit, vini usum tamquam illicitum traducebat, quod improbos eo dumtaxat uti censeret.

23 In Mysia Phrygiae natus Montanus malo abreptus spiritu, ac peregrinis vocibus sese Prophetam simulans, haec inter caetera docuit horrenda: Promissionem Domini de dando Spiritu Paraclito non fuisse completam in Apostolis, sed in Montano, et Priscilla.

24 Nova ieiunia tres scilicet Quadragesimas observandas esse ad salutem necessarias.

25 Artotyritae Panem, et caseum in Eucharistiae Sacramento offerentes, id omnibus fidelibus observandum praecipiebant.

26 Lubrico Hermogenis gutture prodiens Seleucus, praeter errorem illius de materia Deo coaeterna, negavit Salvatorem in carne sedere ad dexteram Patris; asserens quod carnem in Sole posuerit.

SAECULUM ECCLESIAE TERTIUM.

1 ^M₃ Magnam hocce saeculo exortam controversiam cernimus circa haereticorum baptismum. Hoc illis ad Ecclesiam redeuntibus iterandum censuere Cyprianus Carthaginensis Antistes, Firmilianus Caesareënsis Praesul, aliique Africani viri, qui Agrippini sententiam sunt sequuti.

2 Quam de baptismo haereticorum iterando agitabant quaestionem Cyprianus, eiusque Collegae ad fidem minime pertinere iudicarunt, sed ad disciplinam dumtaxat.

3 Stephanum Romanum Pontificem Cypriano restitisse, eique excommunicationem esse minatum non inficior; eum tamen revera a communione separasse falsum est penitus.

Cy-

- 4 Cyprianus , et Firmilianus dure excipientes Stephani decretum , ipsumque iniuriis afficientes dubio procul peccarunt ; at eorum error quibusdam valet rationibus excusari.
- 5 Cyprianum , et Firmilianum a Rebaptizantium errore recessisse incertum , obscurum , et inexploratum.
- 6 Illis nos haud consentientes invenies , qui credunt Stephanum suo contra Rebaptizantes decreto omnia promiscue haereticorum baptismata probasse.
- 7 Rebaptizantium quaestio finita est in plenario , ut inquit M. P. Aug. totius Orbis Concilio , cuius nomine non Arelatense , sed Nicaenum primum Oecumenicum intelligit irrefragabile Ecclesiae Iubar.
- 8 Marcellinum Romanum P. in persecutione Diocleciani thus idolis adolevisse Donatistarum figmentum est , et impostura.
- 9 Nec aliter de Sinuessano iudicamus Concilio , cuius acta numquam Donatistae Magno Aug. ostendere potuere.
- 10 Floruit hoc saeculo Origenes Adamantius , cuius ordinationem perperam inficiatur Demetrius , illius evirationis causa ; ea enim haud fuit ordinationis canonicum impedimentum.
- 11 Etsi omnes et divinas , et humanas leges scruteris , nullam tamen reperies , qua peccatorum occultorum publica praescribatur confessio.
- 12 Fateri tamen non renuam primis Ecclesiae saeculis quosdam ferventiores extitisse poenitentes , qui ex charitatis fervore , et exhortatione Confessarii permoti et publica , et occulta quaeque peccata manifesta patefaciebant confessione.
- 13 Fuit olim in Ecclesia triplicis poenitentiae , scilicet privatae , publicae , atque sollemnis usus.
- 14 Quae omnino occulta erant peccata numquam vi Canonum obnoxia fuere sollemni poenitentiae , sed ea solummodo , quae publica erant aliquomodo.
- 15 Non omnia lethalia peccata sollemnibus poenitentiis fuerunt multata , sed atrociora dumtaxat , praesertim idololatria , moechia , et homicidium , quaeque ad illa valent referri.
- 16 Ad illorum Theologorum partes accedo , quibus placet , nec tribus primis , nec subsequentibus saeculis Clericos maiores poenitentiae sollemni fuisse subiectos.
- 17 Ea mihi probabilior apparet sententia , quae tenet ultimam reconciliationem non fuisse reconciliationem cum Deo per sacramentalem , quam supposebat , absolutionem , sed tantum cum Ecclesia , quoad oblationes , et Eucharistiae participationem.
- 18 Numquam fuit ea universalis Ecclesiae disciplina , ut sanis atrociorum criminum reis poenitentibus absolutionem denegaret.
- 19 A veritate discedere mihi visus est Cl. Natalis Alexander , dum absolutionem peccatoribus sero , et in exitu tantum poenitentibus denegatam fuisse contendit.

ERRORES SAECULI TERTII.

20 **S**Eptimius Florens Tertullianus vir in omni disciplinarum genere versatissimus , a Montano dementatus , praeter huius errores hoc sibi proprium vindicavit : Anima rationalis ex traduce fit , seu a parentibus generatur.

21 Arabici, sic dicti eo quod in Arabia haereseos suae virus disseminarent, animas hominum una cum corporibus extinguere, sed postmodum in resurrectione simul cum illis excitandas praedicabant.

22 Quoscumque obvios, si viribus praevalerent, mutilabant, dictitantes, non posse obtineri salutem, nisi membra, quae offensionem sunt, et in quibus regnat concupiscentia, abiicerentur.

23 Origenes strenuus quondam fidei defensor ingenio suo nimium indulgens incidit in errores tanto viro indignos. Haec est illorum index: Animae humanae eiusdem naturae sunt cum spiritibus coelestibus.

24 Ipsae simul creatae sunt omnes; sed propter peccata sua in corpus, velut in carcerem detruduntur.

25 Anima Christi ab initio ante corporales creaturas, cum omnibus aliis spiritualibus creata est, et a Verbo Dei assumpta, et demum circa finem saeculorum pro salute hominum carnem fuit induta.

26 Apostolici, verius Apostatici habiti sunt haeretici, quod se ab Ecclesia separantes docerent, nullam iis esse spem salutis, qui possident divitias.

27 Ex urbe Smyrna oriundus Noetus, in tantum fastum elatus erat, ut auderet; papae! se Moysem, et Fratrem suum Aaron adserere.

28 Manichaeorum praecipui inter alios eorum errores fuerunt: Principium corporalium, et carnis nostrae esse Diabolum, proindeque istam de se malam esse.

29 Animas transire de uno in aliud corpus.

30 Hominem liberi arbitrii non esse, sed cogi ad agendum: bene ex bono, male autem ex malo principio.

QUARTUM ECCLESIAE SAECULUM.

1 **P**rimas Oecumenica inter Concilia sibi vindicat Nicaena Synodus, quae Nicaeae Bithyniae Metropoleos habita est anno aerae vulgaris CCCXXV. Magni Constantini XX.

2 Adversus Arium, Meletianos, et Quartodecimanos celebratum fuit hoc primum Oecumenicum Concilium.

3 Celebrem hanc tercentorum decem, et octo Patrum congregationem indixit Magnus Constantinus haud inscio Sylvestro Antistite Romano, sed eo liberrime annuente.

4 Sentiatur quidquid velit Launoius nobis certum adparet Osium Cordubensem Episcopum, Vitum, et Vincentium Presbyteros Romanos huicce Synodo Sylvestri, cuius erant Legati, nomine praefuisse.

5 Quandoquidem *Omoousion* vocabulum aptissimum sit ad Orthodoxorum propugnandam fidem, iure, meritoque Nicaeni PP. illud usurparunt, symboloque addiderunt.

6 Qua abutebantur Ariani *Omoousion*, vocem haud iniuria reiecerunt Catholici, virus Arianum in ea fraudulenter contineri deprehendentes.

7 Liberior Pont. taedio exilii fractus, maceratus inedia, tentatus verberibus, Sirmiensi Arianorum formulae, et Athanasii damnationi inique subscripsit. Ergo ne in Arianorum numero computabitur? Absit. Nec enim secundae Sirmiensi formulae, sed primae dumtaxat *Omoousion* reticenti vocabulum adhaesit.

8 Ariminensis Concilii Patres simplicitate lapsos, et fraudulenta Valentis propositione deceptos confitemur; haereticae tamen pravitati consensisse mordicus pernegamus.

Osium

9 Osius Hispaniae nostrae decus immortale, acerrimus ille Nicaenae fidei, et Athanasii defensor, centenarius exilio mulctatus, iniuriis, verberibusque afflictus, Arianis cessit, eorumque subscripsit errori; at (quod summopere gratulandum) morti proximus resipuit, errorem abiuravit, et in Ecclesiae pace Deo, naturaeque concessit.

10 Alterum, quod post Nicaenum nobis occurrit Generale Concilium, est Constantinopolitanum I. a Theodosio Seniore anno CCCLXXXI. convocatum, in quo et Macedonius damnationem excepit, et Nicaena fides tot pseudosynodis labefactata, fuit confirmata.

11 Synodus haec non nisi ex post facto a nobis Oecumenica reputatur. Videsis ergo, quo pacto solvatur argumentum ex convocatione, et praesidentia contra illius oecumenicitatem petitem.

12 Definitionem fidei a Concilio Constantinopolitano editam universa semper probavit Ecclesia.

13 Num Symbolum, quod sub Athanasii nomine circumfertur, genuinum sit S. Doctoris opus, disputant eruditi, utrimque probabilibus argumentis. Quid ergo ego in hac aequali probabilitate resolvam? Habeto problema.

14 Ioannem, ob aureum eloquentiae flumen cognomento Chrysostomum Dei visionem esse inficiatum contendit Vazquesius; verum hallucinatur profecto, ipse enim comprehensionem dumtaxat, non Dei impugnavit visionem.

15 Ut Chrysostomus, ita Theodoretus in eodem argumento a quibusdam immerito erroris insimulatur.

16 Non Romae sub Sylvestro, sed Nicomediae sub finem vitae Constantinum Imperatorem Augustum sacris undis regeneratum esse contendo.

ERRORES SAECULI QUARTI.

17 Donatistarum secta, quam foeminae scilicet Lucillae iracundia peperit, ambitio virorum nutrit, et avaritia roboravit, suum in res sacras furorem evomuit Eucharistiam canibus proiiciendo, Sanctum effundendo Chrisma, denique Altaria evertendo.

18 Circumcelliones, qui docente Donato in Africa oborti sunt, inconsulto docebant: licitum est seipsum occidere, ut quisque Martyrii lauream capessat.

19 Palmaris Eustathianorum error fuit, ieiunandum esse die Dominica; reliqua vero ieiunia ab Ecclesia servari solita esse solvenda.

20 Messalianorum haeresis dictitabat: oportet continuo orare, imo oratio tanti momenti est, ut illa sola ad salutem sufficiat.

21 Homo capax est per iuge orationis sacrificium sanctissimam oculis corporis videndi Trinitatem.

22 Iovinianus a S. Hieronymo Christianorum Epicurus appellatus, Virginitatem non esse matrimonio praeferendam propalavit.

23 Ad tantam vanitatem devolutus est Rhetorius, ut ultro buccinaret, quemlibet posse salvari in sua fide, omnesque Haereticos recte ambulare.

QUINTUM ECCLESIAE SAECULUM.

1 Ullulavit hocce saeculo perniciosissima haeresis Pelagiana, sic a Pelagio nominata, qui cum esset vir ingenii acuti, versuti, et facundi pie-

pietatem prae se ferens suam haeresim longe lateque caepit disseminare.

2 Suae haereseos nactus est Pelagius Patronum, et assertorem fervidum, et effrontem Coelestium, cuius Patria ignoratur. Is perversitati Pelagianae propagandae tantam navavit operam, ut huius sectatores etiam Coelestiani adpellarentur.

3 Triplex Pelagianae haeresis nobis probatur status: in quorum primo nullum prorsus interioris gratiae adiutorium admisit Haeresiarca, sed liberum hominis arbitrium dixit se solo sufficere ad bene vivendum, et ad observantiam mandatorum Dei; supposita tamen lege, atque doctrina.

4 Persuasum habemus Pelagianos in secundo suae haereseos statu gratias actuales interiores ex parte intellectus admisisse, internas nempe revelationes, mentisque illustrationes; num autem ad facilius, an ad simpliciter operandum necessarias iudicaverint, inexploratum est penitus.

5 Ipsos etiam gratiam possibilitatis, seu quae dat posse probasse contendimus: In quo autem illam reponerent obscurum nimis.

6 Nec minimum a sententia discedam eorum, qui tenent Pelagii, Coelestiique sectatores in ultimo haeresis statu Catholicorum convictos argumentis, et Ecclesiae agitados definitionibus admisisse tandem gratiam operis, et voluntatis, quae facit bene velle, et operari, at vim eius falsis suis interpretamentis evacuasse haud incertum adparet.

7 Honorati Tournely displicet nobis adsertio, qua vir clarissimus tenet Pelagianos habituales gratiam non admisisse; eam tamen non, quo par erat, modo adseruisse fatemur.

8 Gratia actualis interior, qualiscumque sit, collata intus voluntati, qualem defensores Iansenii dicunt Semipelagianos admisisse, eorum capitali errori repugnat.

9 Semipelagiani saltem ii, qui in consensu gratiae fidei initium reponabant, ad formatos actus gratiam admisere cooperantem, quae ut oblata prior esset ipso voluntatis consensu, posterior vero, ut collata.

10 Nestorius Germanicia Syriae oppidulo oriundus nomen sectae Nestorianae dedit. Is revera sensu Ecclesiae contrario duplicem in Christo statuit personam; oleum ergo, et operam perdunt Albertinus Calvinista, Heterodoxique alii vindices Nestorii, qui hunc de Christi Divinitate optime sensisse contendunt, diffiteri tamen non possum verba sua ita dextere composuisse, ut Catholicus aliquando videretur.

11 Perditissimos Nestorianos haereticos damnavit Sancta Ephesina Synodus, Coelestini I. Romani Pont. nutu anno CDXXXI. convocata.

12 Sanc. Cyrillus Ephesinae Synodo praefuit sub eius initium tamquam Coelestini Legatus; deinde Arcadius, et Proiectus Episcopi, Philippus Presbyter Romani Pont. vices gesserunt.

13 Eodem etiam munere functus est Cyrillus post praedictorum Legatorum adventum, ea enim Legatorum missio potestatem Cyrillo collatam non destruit.

14 Egregiam in oppugnanda haeresi Nestoriana operam collocavit Sanctissimus Alexandrinae Ecclesiae Episcopus Cyrillus, cuius duodecim Anathematismi limpidissimi omnino sunt, et Apollinistarum errore nequam conspurcati.

15 Errasse Ioannem Antiochenum concedo, dum Nestorium impense patrocinator est, Synodum Ephesinam impugnavit, Cyrillique Anathematismos explosit, haeresim tamen eum approbasse non puto.

16 Coeva fere Nestorianae, atque e diametro opposita est haeresis Euty-

Eutychetis: Nesciens ignarus Archimandrita quid diceret, post adunationem unam tantum profitetur in Christo naturam. At qua sorte, quoque pacto haec ex duabus coaluerit, non uno eodemque modo definit inconstans Haeresiarcha.

17 Adversus Eutychanam haeresim congregatur numerosus Episcoporum comitatus in Chalcedonensi Concilio auctoritate Leonis Papae anno CDLI. convocato.

18 Huic Concilio idem Pontifex praefuit per suos Legatos Paschasium Lylibaetanum, Lucentium Ausculanum Episcopum, et Bonifacium Presbyterum, quibus adiunxit Iulianum Coensem saltem ut Conciliorum participem.

19 Labe, et haereseos suspicione laborabat Theodoretus; ut ergo ab ea plane se purgaret, Orthodoxumque se ostenderet merito ipsum coëgit Chalcedonensis Synodus anathema dicere Nestorio, et dogmatibus eius, Nestorio, et amantibus eum.

ERRORES SAECULI QUINTI.

20 **V**igilantius Presbyter blasphemiarum suarum sordes coepit primum evomere in Galliis, docens inter caetera aequè perfectos esse, qui possident divitias, ac alios, qui voluntariam paupertatem profitentur.

21 Vincentius Victor novum de animarum origine commentum fabricavit; scilicet anima non de nihilo, sed de Divina creatur substantia.

22 Theodorus Mopsuestenus post varias haereses strenue impugnatas, dum eius luxuriatur ingenium, Nestorianam praeformavit, hoc peculiare sibi vendicans dogma: In veteri Testamento nihil proprie dicitur de Christo.

23 Impium Eutychetis errorem sectantes Aegyptii, alium praeterea procuderunt, asserentes ordinationem divinam aliquibus sacrificiis, et orationibus posse impediri.

24 Petrus Fullo, sedis Antiochenae invasor, illic sacro Trisagio Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis verba istaec, qui passus est pro nobis, addenda praedicavit.

SEXTUM ECCLESIAE SAECULUM.

1 **S**ynodum secundam Constantinopolitanam, quae inter Oecumenicas quinto computatur loco, annuente quidem Vigilio P. Iustinianus Imperator indixit.

2 Vigilius R. P. vices suas demandavit Eutychio Constantinopolitano Antistiti, ut praesideret Concilio, uti de facto praefuit.

3 Ut Eutychanis, Nestorianis, et Origenistis obviam iretur, triumque capitulorum finiretur controversia congregata est quinta Oecumenica Synodus.

4 Tria famosa capitula, scripta nempe Theodori Mopsuesteni, Theodoretæ Anathematismi, et Ibae Edesseni ad Marim Persam Epistola in hoc, de quo tractamus, Concilio anathemati fuere subiecta.

5 ? Quid? Chalcedonensi adversatur Concilio secunda Constantinopolitana Synodus, quodque edificavit illud, ista destruxit? Neutiquam: Utrumque enim Concilium mirum in modum consentire putamus.

6 Varios scio habuisse quintum Generale Concilium et propugnato-

res , et adversarios , prout varie trium capitulorum amore , aut odio afficiebantur nonnulli ; verumtamen in iis , quae fidei sunt , Divinae semper fuit auctoritatis.

ERRORES SAECULI SEXTI.

7 **B**laspheia Corrupticularum , seu Passibilium secta suum adversus Christum virus disseminare coepit Alexandriae , asserens eum corporales defectus ex necessitate suscepisse.

8 Huic oppositum stabiliebat Iulianus Halicarnassensis, effutiens Christi corpus non vere , sed specietenus subditum fuisse corporalibus defectibus.

9 Themistiani ex Acephalorum colluvie prodeuntes errore carere suo erubescens docuerunt , Christum ut hominem penitus nescire diem iudicii , et sic in eo fuisse ignorantiam.

SAECULUM ECCLESIAE SEPTIMUM.

1 **E**cineribus Eutychetis suscitata habemus in hoc saeculo sectam Monothelitarum , qui unicum tantum et operationem , et voluntatem propugnarunt in Christo : Non ergo audiendus Vazquesius , qui haereticos homines ab errore purgare satagens , Divum Thomam , caeterosque clarissimos Scholae viros haeresis Monotheliticae veluti ignaros traducere non erubuit.

2 Pro Monothelitarum eliminanda secta Concilium quoddam congregari oportuit in Regia Constantinopolitana Urbe, quod ideo tertium Constantinopolitanum , Oecumenicum sextum audit.

3 Piissimus Imperator Constantinus Pogonatus hoc celebrari iussit Concilium anno DCLXXX. Romano Agathone Pontifice annuente.

4 Praefuere huic Concilio Agathonis nomine Theodorus , et Georgius Presbyteri , idem cum eis Ioanne Diacono munus obeunte.

5 Interfuit et omnibus fere actionibus Imperator , non ut Iudicem, sed ut defensorem ageret.

6 Sunt , qui in huius Synodi actis pro Theodoro Honorium positum esse putant , verum eos errore laborare contendo ; Honorium ergo Pontificem Romanum a Patribus Constantinopoli congregatis anathemate fuisse perculsum , actaque Concilii interpolari haud potuisse , exploratum mihi est.

7 Si Honorii consulamus scripta , dubio procul adparebit manifestum, ipsum non unicum voluntatem , et operationem in Christo Domino propugnasse uti Monothelitae effutiebant , sed binam voluntatem , et operationem una cum Catholicis asseruisse. Ergo ab haereseos labe purgatum Honorium volumus ? ita sane ; nec uti talis Concilii subiit anathema.

8 Ergo Qua ergo ratione , quo pacto meruit in Concilio damnari si ab haeresi reperitur immunis ? Nulla alia profecto de causa nisi quia haereticis connivendo , cum ipsis communicando , silentiumque indicendo de una , vel duplici operatione flammam haeretici dogmatis , non ut decuit Apostolicam auctoritatem incipientem extinxit , sed negligendo confovit.

ERRO-

ERRORES SAECULI SEPTIMI.

- 9 **D**erniciosissima huius saeculi pestis Mahometes multa fabulatur: En praecipua: Beata V. M. dolores in Christi partu sustinuit.
- 10 Non verum Christi corpus, sed illius umbra fuit cruci suffixa.
- 11 Post carnis resurrectionem sectatoribus suis in beatissimo Paradiso formosissimarum copia puellarum promiscue ad usum reservatur.
- 12 Paradisum nullo modo patere affirmat nisi fortibus, et magnanimis in praelio.
- 13 Inter Armenorum errores hic praenotatur: Annuntiatio B. M. V. Nativitas D. N. I. C. eiusdem Circumcisio, ac Epiphania, Purificatio Dei Genitricis, possunt celebrari temporibus a ritu Ecclesiae Latinae, et Graecae discrepantibus.
- 14 Gnosimachorum lues insanissima omnem Sacrae Scripturae scientiam, Christianis contrariam, vanam, et inutilem esse reputavit.
- 15 Ethnophrones Paganismum impie cum Fide nostra profitentes, stulte existimabant, quod haec ambo simul licet exercere.

SAECULUM ECCLESIAE OCTAVUM.

- 1 **U**T sanctarum Imaginum restitueretur cultus, cui ingens ab Imperatoribus Leone Isaurico, Constantino Copronymo, et Leone IV. orta, advenerat persecutio, Nicaenam secundam Synodum necessum fuit celebrari.
- 2 Constantinus, et Irene Augusti hoc convocarunt septimum Generale Concilium.
- 3 Praefuere huic Concilio Legati, quos ad Augustorum preces miserat Adrianus I.
- 4 Non desunt, qui Nicaenae secundae Synodo in iis, quae pro sacris Imaginibus statuit, adversari putent Francofordiense Concilium; ego vero utriusque Synodi decreta quammaxime cohaerere contendo.
- 5 Damnationem subiere in hac Francofordiensi Synodo Felix Urgelitanus Antistes, et Elipandus Archiepiscopus Toletanus.
- 6 Felix Urgellis Episcopus, atque Elipandus Toletanus Antistes ita Christum Filium Dei adoptivum asseruerunt, ut veterinosam haeresim, Nestorianam nempe, Catholica olim falce funditus detruncatam revocaverint ab orco. Vazquesio ergo non movemur.

ERRORES SAECULI OCTAVI.

- 7 **A**Gonclitae fucata pietatis larva decepti genuflexionem in fundendis precibus condemnabant; hinc semper stantes precabantur.
- 8 Clemens Scotus pseudo-Episcopus, vitae facinosissimae hunc inter alios adiunxit errorem: In nova lege potest frater defuncti fratris uxorem sibi in matrimonio iungere.

NONUM, ET DECIMUM ECCLESIAE SAECULUM.

- 1 **R**oh Deus! quot iniquis artibus usus est Photius perditissimus ille Graeci schismatis parens, ut Ignatium Sanctissimum Praesulem

a Sede (quam ambierat) Constantinopolitana eiiceret , seque in ea collocaret.

2 Et inuasoris Photii abdicatio , et Ignatii in propriam Sedem , a qua fuerat inique deiectus , restitutio , causae fuere , quibus merito coactum fuit Constantinopolitanum IV. Concilium , quod octavum est Oecumenicum.

3 Ab Imperatore Basilio iustitiae , et Religionis amantissimo Principe convocata est haec Synodus.

4 Non defuere Patres fama , et eruditione praestantissimi , qui huic adessent Concilio , inter quos Donatus , et Stephanus Episcopi , et Marinus Diaconus , qui Adriani II. legatione fungentes Synodo praesederunt.

5 Tradunt Magdeburgenses , ut in Ecclesiam Romanam concitent odium , mulierem , Ioannam nomine inter Leonem IV. et Benedictum III. ad Petri solium ascendisse , ac Ecclesiae tenuisse gubernacula ; sed nemini latet putidam hanc fabulam esse , spernendam potius , quam refutandam.

6 Conciliorum , quae adversus Gotteschalcum sunt celebrata , auctoritate recte perpensa , et Praelatorum contra ipsum scribentium operibus mature examinatis , patefactum fiet Gotteschalcum ineptias sibi imputatas propugnasse.

7 Lugdunensem Ecclesiam Gotteschalci tenuisse errores non probo ; ei tamen errore facti deceptam patrocinii aliquid impendisse haud diffiteor.

8 Ioannem XII. variorum criminum reum extitisse , haud diffiteor ; legitime tamen exutum Pontificatu fuisse pernego ; hinc , qui in eius loco fuit substitutus Leo videlicet VIII. Antipapa fuit.

ERRORES SAECULI NONI.

9 **D** Raecipuum Sergii sese et lucidam stellam , et Paraclatum fingentis hoc erat dogma : Fornicatio peccatum non est , sed naturae potius beneficium.

10 Gotteschalcus SS. Patrum , maxime Augustini doctrinae impigram navavit operam ; at illius dogmata in alienos detorsit sensus , praesertim docens , Deum sicut quosdam ad vitam aeternam , sic alios ad mortem aeternam praedestinasse , et sic hominus cogi interire.

11 Saeculo decimo , singulari profecto Dei pro Ecclesia excubante providentia , dum perversi Pontificum mores illam quassant , subsidunt horribiles errorum furiae. Verum ne illud omnino ieiunii praetereamus , errores , quos iuxta ordinem temporis sibi vendicabat saeculum undecimum , quosque Alphonsus a Castro Graecis attribuit , referemus. En. Non est peccatum dare aliquid ad usuram.

12 Non est necessaria rei furto ablatae restitutio , ut quivis vitam possit consequi aeternam.

UNDECIMUM , ET DUODECIMUM ECCLESIAE SAECULUM.

1 **B**erengarius Andegavensis Archidiaconus primus saeculo XI. in Ecclesiam palam realem Christi Corporis in Eucharistia praesentiam impugnavit.

2 Facta semel , et iterum a Berengario fidei professione , Ca-
tho-

tholica veritate in animo custodita , diem clausit extremum anno 1088.

3 Primum , quod in occidente habitum fuit generale Concilium est Lateranense I. inter Oecumenica nonum computatum. *Investiturarum* abrogationis confirmatio , Palestinae , et Hispaniae ab Infidelium tyrannide liberatio , Ecclesiae demum collapsa disciplina causae fuere Synodum Lateranensem convocandi.

4 Quid *investiturarum* nomine intelligendum veniat , quidque earum usui dederit occasionem , paucis , si vobis arriserit , exponemus.

5 Lateranense I. Concilium nullum nisi Callixtum II. habuit convocatorem , neminem praeter ipsum praesidem habuit.

6 Investiturae , bona , electiones ab Henrico IV. in Lateranensi I. Concilio Ecclesiis sunt restituta.

7 Conflatum a Petro Leonis schisma , Petrobusianorum , et Arnoldistarum errores , collapsa Ecclesiae disciplina , tres fuerunt convocandae Lateranensis II. Synodi rationes.

8 Sedens in Cathedra Petri Innocentius Papa II. Lateranensem II. Synodum convocavit. Huic adfuere Concilio mille circiter Episcopi una cum Innocentio Concilio praesidente.

9 Aliud praeterea habitum est saeculo hocce Concilium Lateranense nempe III. ab Alexandro Papa III. congregatum anno ab Incarnatione Domini MCLXXIX.

10 Eiusdem Concilii praefatione Alexandrum Concilii praesidem extitisse , manifestum adparet.

11 Tribus potissimum de causis habitum est Lateranense III. Concilium , quae nonnullam dicendi copiam in conflictu suppeditabunt.

ERRORES SAECULI UNDECIMI.

12 **S**imoniaca labes hoc saeculo plures sibi adscivit Scriptores inter alia ovantes , licitum esse vendere beneficia Ecclesiastica , ut Praelaturas , Canonicatus.

13 Eo Incestuosos compescuit S. Petrus Damiani , quod , eraso pudore , coniugium in quarto consanguinitatis gradu ceu licitum traducerent.

14 Palliatae seminatores Simoniae fuerunt , qui docebant , licite Episcopatus a Principibus laicis sine Simoniae crimine emi posse , dummodo consecratio gratis acciperetur.

15 Wecilo in Moguntinum Archiepiscopum intrusus , haereticus a Synodo Quintilineburgensi declaratur , quod teneret , saeculares suis rebus spoliatos Ecclesiastico non subiacere iudicio , nec excommunicari posse pro suis excessibus.

16 Excommunicatos sine reconciliatione recipi posse.

ERRORES SAECULI DUODECIMI.

17 **S**UB Alexio Comneno Graecorum Imperatore detecta est Bongomilorum haeresis. Varios inter illorum errores hi potissimum eminent: Michaël Archangelus fuit incarnatus.

18 Baptismus ab Ecclesia adhiberi solitus non est Christi , sed Ioannis Baptistae ; Bongomilorum vero Christi Baptisma est.

19 Tanchelinus homo perditissimus fornicationem , et adulterium esse opera beatitudinis meritoria , perfricta fronte adserebat.

20 Non dissimilis Tanchelino impietate fuit Petrus de Bruis Ecclesias omnes diruendas esse contendens; cui Henricus patria Tolosanus, et Apostata addidit Deum cantibus Ecclesiasticis irrideri.

21 Hi sunt, quos de Abailardo ridemus errores: Non dantur peccata ignorantiae: Iudei, utpote Christum ignorantes, ipsum crucifigendo non peccarunt.

22 Novitatum cupidus Arnaldus, atque hinc ad fabricandas pronus haereses docebat, Clerico illicitum esse possidere bona temporalia, et haec ad solos Laicos pertinere.

23 Miserrima Waldensium fuit errorum colluvies; docebant enim: Ieiunium nullius est meriti apud Deum: Christianis interdictum est iuramentum, ita ut eis nusquam liceat iurare.

24 Reiciendae sunt omnes caeremoniae in Ecclesia Romana adhiberi solitae.

DECIMUM TERTIUM ECCLESIAE SAECULUM.

1 **T**ria cum in isto saeculo celebrata sint Generalia Concilia, primum inter ea locum obtinet, quod in Basilica magna Lateranensi fuit congregatum, ab Innocentio III. Pontifice Maximo, doctrina, virtutumque splendore conspicuo convocatum.

2 Cogitur itaque Romae in Lateranensi S. Salvatoris Ecclesia Concilium, Patrum numero magnum anno Incarnationis peractae 1215. cui Innocentius III. per semetipsum praefecit.

3 Et terrae Sanctae e Sarracenorum manibus eripiendae causa, et quae grassari coeperant haeresum condemnationis ergo, et Ecclesiasticae disciplinae restituendae gratia, necessum fuit Lateranense IV. celebrari Concilium.

4 Certo certius est Lugdunense I. Concilium inter Oecumenica decimum tertium anno 1245. fuisse ab Innocentio IV. convocatum.

5 Ingens Patrum numerus huic adfuit Concilio, inter quos Praesidem egit ipsemet Pontifex.

6 Quintuplici potissimum de causa Sanctissimus Pontifex est permotus ad Synodum huiuscemodi convocandam, quam haud displicebit referre.

7 Alteram Lugdunensem Synodum Gregorius Papa X. anno 1274. convocavit, eique pariter praefuit.

8 Pro ineunda Graecorum cum Latinis unione, mittendo Christianis in Syria contra Turcas pugnantibus subsidio, reformanda morum disciplina, et praescribendo Romani P. celeriter eligendi modo fuit indictum II. Lateranense Concilium.

9 Extra omnem dubitationis aleam positum iudicamus solemne Corporis Christi Festum ab Urbano IV. fuisse institutum. Institutionis huius originem, et occasionem referre non cunctabor.

10 Extitit hoc saeculo Vir summus Aquinas Praedicatorum Ordinis Sol radians, et illustre decus, vir inquam, qualem nec tulit, nec longa feret aetas, cuius doctrinam Coelum approbat, Ecclesia commendat. Is enim acutissimi ingenii scriptis talem sibi reportavit honorem, ut inter Ecclesiae Doctorem Apostolico Pii V. decreto meruerit annumerari.

11 Integrum venerabilis Eucharistiae Sacramenti officium, quale universa canit Ecclesia Latina, Ang. Praecep. attribuimus.

ERRORES SAECULI DECIMI TERTII.

12 **A**lbigenses Waldensium, maxime Catharorum progenies, B. M. Deigenitricem, pro nefas! meretricem esse effutiebant.

13 Non peccare gravius eum, qui cum Matre, vel Sorore, quam qui cum alia concubat.

14 Guilielmus de Sancto Amore effervens in Religiosos invidia, virus suum evomuit in concione de Publicano, et Phariseo, in qua hae propositiones erroneae ubique erant obviae: Paupertas habitualis licita est, non actualis.

15 Illicitum est Religiosis de Eleemosynis vivere.

16 Religiosis committi non potest officium praedicandi, et confessiones excipiendi.

17 Non licet Religiosis docere.

18 Pseudo-Apostoli, per varias mundi partes mendicando vagantes, iactabundi se Apostolos imitari, hos eructarunt errores: Non fuit licitum Apostolis aliquid servare in crastinum, nec ulla est spes salutis aliquid in crastinum servantibus.

19 Decimae non debent dari Sacerdotibus Romanae Ecclesiae, non enim sunt pauperes, sicut Apostoli.

20 Perfectius est vivere sine voto, quam cum voto.

21 Error Petro Ioannis communiter adscriptus his continebatur: Christus vixit, dum miles eius latus lancea aperuit.

22 Fratricellorum, seu Bizochorum, qui in locis subterraneis infanda perpetrabant, capitale fuit dogma, nefas esse Christiano gubernare rempublicam.

DECIMUM QUARTUM ECCLESIAE SAECULUM.

1 **U**nicum hoc in saeculo reperitur Concilium ex Oecumenicorum serie decimum quintum, Vienna Allobrogum in Gallia celebratum, a Clemente Papa huius nominis V. convocatum.

2 Una cum permultis venerabilibus Patribus, et Doctoribus praesentem se huic Concilio sistit Philippus Pulcher Francorum Rex, quibus omnibus praefuit Clemens Romanus Pontifex V.

3 Ad extinctionem Templariorum Ordinis publica gravissimorum criminum infamia laborantis, ad plurium haereticorum damnationem, ad providendum de ferendo Terrae Sanctae subsidio, pro reformandis denique Ecclesiae moribus Viennense cogi debuit Concilium.

4 Militarem Templariorum Ordinem potentem olim, ac celebrem gravissimis permoti rationibus suppressere Viennenses Patres.

5 In eam quidem Ioannes XXII. propendit sententiam, quae Divorum, piorumque animas ante generalem corporum resurrectionem Deo facie ad faciem viso fruituras non esse tuetur. Eam tamen Pontificem Maximum ut fidei dogma credendum omnibus non proposuisse plurima demonstrant argumenta.

ERRORES SAECULI DECIMI QUARTI.

6 **E**O dementiae saeculo isto pervenere Palamitae, ut capite in umbi-

bilicum inclinato Divinam intueri essentiam faterentur. ; Vah stolidi somniantium deliria !

7 Impium , omissis aliis , dogma a Beguardis , et Beguinis sub huius initium saeculi pluribus hominum millibus afflatum , his circumscribatur verbis : In elevatione Corporis Christi non debet homo perfectus ei reverentiam exhibere.

8 Ioannes de Poliacio Doctor Parisiensis hunc tum in Scholis , cum in praedicationibus errorem vulgavit : Aliquis confessus Fratribus , seu viris Religiosis habentibus licentias audiendi confessiones , tenetur eadem peccata iterum confiteri proprio Parrocho , a qua lege nec Pontifex Parochianos dispensare potest.

9 Ceccus ex urbe Ascoli Asculanus dictus , Bononiae tractatum edidit , in quo alias inter blasphemias docebat , Christum ex necessitate Astrorum , et pauperem natum esse , et turpem mortem obiisse.

10 Flagellantes suam propalarunt haeresim docentes , necessarium esse ad salutem solum baptismum sanguinis per proprii corporis flagellationem.

11 Ioannes Wicleff natione Anglus , ingenii non mediocri homo , sed honorum pruritu exaestuans ingens in Ecclesia excitavit incendium , cum sequentia dogmatizavit : Papa cum omnibus suis Clericis possessionem habentibus est Haereticus , eo quod possessiones habeant ; et consentientes eis , omnes videlicet Domini saeculares , et caeteri Laici.

12 Nullus Praelatus debet excommunicare aliquem , nisi prius eum sciat excommunicatum a Deo , et , qui sic excommunicat , fit ex hoc haereticus , et excommunicatus.

13 Illi , qui dimittunt praedicare , sive audire Verbum Dei propter excommunicationem hominum , sunt excommunicati , et in Dei iudicio traditores Christi habentur.

14 Excommunicatio Papae , vel cuiuscumque Praelati non est timenda , quia est censura Antichristi.

15 Post Urbanum VI. non est aliquis recipiendus in Papam , sed vivendum est more Graecorum sub legibus propriis.

16 Confirmatio iuvenum , Clericorum Ordinatio , locorum Consecratio reservantur Papae , et Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis , et honoris.

17 Fatuum est credere Indulgentiis Papae , et Episcoporum.

18 Iuramenta illicita sunt , quae fiunt ad roborandos contractus , et commercia civilia.

19 Ingredientes Religionem , aut aliquem Ordinem , eo ipso inhabiles sunt ad observanda divina praecepta , et per consequens ad perveniendum ad regna Coelorum , nisi apostataverint ab eisdem.

20 Omnes Religiones indifferenter sunt introductae a diabolo.

21 Augustinus , Benedictus , Bernardus damnati sunt , nisi poeniterint de hoc , quod habuerunt possessiones , et instituerunt , et intraverunt Religiones , et sic a Papa usque ad ultimum Religiosum omnes sunt haeretici.

22 Alios usque ad quadraginta quinque diabolici antesignati articulos , quos Sess. 8. Constantiense proscripsit Concilium , imperterriti explodimus.

DECIMUM QUINTUM ECCLESIAE SAECULUM.

- 1 **A**lterum ex Conciliis hocce saeculo celebratis illud est, quod Constantiae anno 1414. fuit habitum, atque a Ioanne XXIII. convocatum.
- 2 Non unum habuit Concilium Constantiense praesidem; nam et ipse Ioannes XXIII. Cardinales, et Martinus Papa V. sessione XLI. Pontifex renuntiatus, diversis praefuerunt Concilii sessionibus.
- 3 Funestum Occidentis schisma, quo iam diu scindebatur Ecclesia, ipsius morum reformatio, et Wicleffi, Ioannis Hus, ac Hieronymi de Praga errores impiissimi praecipuae fuere laudatae Synodi causae.
- 4 Synodum Constantiensem universam repraesentantem Ecclesiam ex Oecumenicorum catalogo expungi debere, mihi persuadere poterit nullus.
- 5 Concilii Constantiensis decretum exequens Martinus V. Basileensem Synodum convocavit. Qui Martino proxime successerat Eugenius IV. eiusdem Concilii convocationem confirmavit.
- 6 Basileense Concilium, cui Iulianus Cardinalis Eugenii nomine praefuit in Generalium elencho constituendum reputo quoad eas sessiones, quibus idem Pontifex adhaesit.
- 7 $\frac{1}{2}$ Quid vero de caeteris adserendum? in Conciliabulum, et Schismaticorum conventum degenerasse, explorata res est.
- 8 Ferrariae primum Eugenius IV. Generale convocavit Concilium, sed cum pestifera ibi grassaretur lues, ab eodem Florentiam transiit, unde appellationem accepit.
- 9 Ut Graeci tamdiu a Romana discedentes Ecclesia pacem cum illa inirent Florentina Synodus est coacta.
- 10 Lapide molari stupidiorum se prodit, quicumque Florentinam Synodum nunc inter Oecumenicas non recensuerit.
- 11 Eugenii IV. labores eo collimantes, ut utraque uniretur Ecclesia, haud fuere infructuosi; discussis enim quaestionibus multis, quibus inter se dissidebant, victas tandem manus dedere Graeci, ac omnes, dempto Marco Ephesino, fidei diffinitioni subscripserunt.
- 12 Acri, diuturnaue contentione disputatum est in Florentina Synodo de additione particulae *Filioque* facta Symbolo Niceno-Constantinopolitano; iure, meritoque Symbolo fuisse additam Sancta Synodus declaravit. Vide hinc, qua mentis vertigine capti Graeci a Latinis dissideant.
- 13 $\frac{1}{2}$ Quo autem tempore huiuscemodi facta est additio? id plura inter incerta nobis compertum obtinuisse apud Hispanos nostros sexto vertere saeculo. Exinde ad Gallos commeasse, non levis est coniectura.
- 14 Verum probabile iudicamus, Ecclesiam Romanam hanc Symbolo additionem recepisse, Nicolao I. sedente, aut circa eius tempora, licet Symbolum cum hoc additamento universim non caneretur.

ERRORES SAECULI DECIMI QUINTI.

- 15 **D**imogenitus Diaboli Ioannes Hus mirabilibus de se ideis factus, et odio vehementi in Ecclesiam Catholicam concitatus in absurda quaeque dilabatur. En nonnulla:
 - 16 Paulus numquam fuit membrum Diaboli, licet fecerit actus quosdam actibus Ecclesiae malignantium consimiles.
 - 17 Papalis dignitas a Caesare inolevit, et Papae praefectio, et institutio a Caesaris potentia emanavit.

Dd

Ne.

- 18 Nemo gerit vicem Christi , vel Petri nisi sequatur eum in moribus.
- 19 Obēdientia Ecclesiastica est secundum adinventionem Sacerdotum Ecclesiae praeter expressam auctoritatem Scripturae.
- 20 Ne tamen propositionum copia fastidium pariat , earum omnium, quae a Concilio Constantiensi in Ioannem Hus damnatae sunt , occasione arrepta , falsitatem ostendemus.
- 21 Nicolaus Galaecus Sacerdos contendebat , quod nullus homo iuste occidi possit novae legis tempore etiam post iudicis sententiam.
- 22 Hermanus Ruissvich ob errores in carcerem coniectus , inde evadens in priorem dementiam relapsus est , docens : quod fides nihil faciat ad salutem.

DECIMUM SEXTUM ECCLESIAE SAECULUM.

- 1 **V**entum ad Tridentinam Synodum , quae omnium praecedentium Conciliorum epitome veluti est , nec umquam satis , superque celebranda. Hanc a Paulo Pontifice III. convocatam agnoscimus anno Christi adventus 1545.
- 2 Adversus sceleratissimos Ecclesiae hostes , simulque ad Ecclesiasticam disciplinam bellis , et haeresibus labefactatam in pristinum restituendam statum , Oecumenicum Tridentinum Concilium fuit celebratum.
- 3 Sacrae Tridentinae Synodo , quae ab anno 1545. ad usque 1563. perduravit Romani Pontificis Legati semper praefuere.
- 4 Nullum non moverunt lapidem Protestantes , ut , si vel ipsi possint , Concilii Tridentini quoquo modo auctoritatem everterent , sed incassum : adeo enim omnia rite peracta , et quae ad Oecumenicitatem requiruntur , fuere perfecte observata , ut nulla maior de ullo umquam Concilio valeat haberi certitudo.
- 5 Extitit Lovaniensis Doctor quidam Michael Baius , cuius permultas propositiones SS. Pius V. Bulla *Ex omnibus afflictionibus* , postea a Gregorio XIII. confirmata , damnavit.
- 6 Eo , quem praeserebant sensu , quique ab auctoribus fuerat intentus , proscriptae sunt propositiones Baianae.

ERRORES SAECULI DECIMI SEXTI.

- 7 **M**hilippus Melanchthon in tradendis dogmatibus varius , et anceps , inter caetera execranda docuit legitimas Ecclesiae , et Conciliorum constitutiones eius esse generis , ut liberum sit unicuique eis uti , vel non uti sine salutis discrimine.
- 8 Sustinuit Gregorius maior Nuremburgensis bona opera esse infantibus ad salutem necessaria.
- 9 Sebastianus Castello Delphinus rem indifferentem ducebat eam sequi religionem , quam quisque voluerit.
- 10 Refutatione indignum duximus , quod Nicolaus Gallus , et Iacobus Smidelinus docuerunt , Christum descendendo ad inferos dira damnatorum tormenta in anima sua fuisse perpessum.
- 11 Ventum est nunc ad Lutheri , et Calvinii dogmata. 2 At quid aggredimur ? 2 cur illa discutienda suscipimus , quae iam ab ipsis Ecclesiae incunabilis , a longa remotissimorum saeculorum serie praedamnata sunt ? Agamus tandem : Praecipua illorum doctrinae capita veritati unice in-

tenti expendemus, seu fidem exponemus Catholicam, omnibus abster-
sis calumniis, nebulis, tenebris, quae ab adversariis illi sunt offusae,
vel etiam nunc offunduntur.

*SAECULUM DECIMUM SEPTIMUM, ET DECIMUM
octavum.*

1 **C**ornelius Iansenius Iprensis Episcopus quinque famosas docuit
propositiones in libro, quem *Augustinus* nominavit, a Sede Apostolica
anathemate confixas.

2 Molinae doctrina, cuius discussio ab Hispaniensi Inquisitione ad Ro-
mam translata est a Clemente VIII., designatos causae iudices pas-
sa est adversarios.

3 Clemens R. P. nullo umquam tempore Moliniana doctrinae fa-
vit.

4 Baii, Iansenique errores a Quesnello suscitati damnationem subie-
re in Bulla *Unigenitus* Clementis XI. iussu edita.

5 Illicitum est a Clementis constitutione ad futurum appellare Con-
cilium.

6 Quam SS. Pontifex Clemens XI. in solenni Dominicae Resurrec-
tionis die habuit Homilia ab omni prorsus errore est immunis, nec ab
ullo valet in reprehensionem adduci; aegre licet id ferat *Avitus Aca-*
demicus.

ERRORES SAECULI DECIMI SEPTIMI.

7 **I**n Anatica Tremblantium, seu Quakerorum secta his delectaba-
tur: Nullus potest esse Dominus; unde nullus debet alteri servire, sed
omnes debent esse aequalis conditionis.

8 Politico-Atheus Spinoza, Religionem Iudaeorum non abiurans,
nec Christianorum amplectens docuit, Prophetias Prophetarum vete-
ris Testamenti consistere in eo, quod hi imaginationem habuerint for-
torem communi; et Moysis in eo, quod excellentiori praeditus fue-
rit intellectu.

9 Cocceiani, quibus se Ducem fecit Ioannes Cocceius, hoc audito-
ribus instillabant dogma.

10 Fideles veteris Testamenti propter sacrificii expiatorii dilationem
fuerunt impuri, sordidi, habuere non redempti peccatum, et conscien-
tiam peccati.

11 Qui in Hollandia Cocceii vestigia praemunt, ulterius profiten-
tur, quod non sit necesse observare diem Dominicum, sed quod suf-
ficiat ad cultum Dei quicumque dies hebdomadae.

ERROR SAECULI DECIMI OCTAVI.

12 **H**OC saeculo fervet in ampla parte Germaniae Pietistarum
secta, sic talis dicta ab adulterina, quam verbis, vultu, oculis, toto
corporis nisu affectant, pietate, imaginaria unione cum Deo, fucata quie-
te Spiritus sese pascentes.

En ergo, humanissime Lector, thesibus hisce comprehensum fruc-
tum, quem Theologiae navantes operam reportare valuimus; opus qui-
dem

dem perexiguum, et humile, sed quo mentem nostram plurimum coarctari fatemur; quod si pro dignitate nobis tractatum non est, veniam obsecramus; sin autem aliqua ex parte muneri nostro fecimus satis, id Deo Op. Max. acceptum referimus.

Vt. Ioseph Epus. Orcelens.

Vt. D. Ioseph Emmanuel Balaguer
Cens. Reg.

Vt. D. D. Salvator Puche
Stud. Reg. et Rector.

Imprimatur,
Berdu.

[Faint, mostly illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. A large dark ink blot is present on the left side of the page.]

TIBI
BERTRANI
CARBONELLI

LIBRARY
RESEARCH
CARBON

19

Ad.